


IOANNIS RHO MEDIOLANENSIS, E SOCIETATE IESV ACHATES:

AD D.

CONSTANTINVM CAIETANVM,
Monachum Casinatem, & S. Barontj Abbatem V. C.

ADVERSVS
INEPTIAS, ET MALIGNITATEM
LIBELLI PSEVDO-CONSTANTINIANI,
de Sancti Ignatij Institutione,
atque Exercitijs.





LVGDVNI,
Apud PHILIPPVM BORDE, viâ Mercatoriâ,
ad Insigne Temporis.

M. DC. XXXXIV.
SVPERIORVM PERMISSV.



TYPOGRAPHVS LECTORI.

Auctoris absentia, & Amanuensis, quo vsus est oscitatio, operas nostras excusabunt, si plura quàm pro mole Libelli errata hîc fuerint adnotanda. Minutiora, & quæ in Italico irrepserunt omittuntur. Tu lector amice, hæc condonabis, & adnotata antequam ad legendum aggrediaris, sic corriges.

In Præfat. numero 3. iij. corr. ijs. n. 17. consepctu, conspectu. ibid. stigmati, stigmata. 18. Anthiocus, Antiochus. 24. inaledicto, maledicta. 29. medecina, medicina. pag. 5. liuea 14. del la, de la. ibid. Loplam, Loyolam. ibid. Eximenco, Eximenio. ibid. Eneides, Æneidos. 6.1. intre, inter. l. 2. Iogo, Iago. l. 36. extendit, extudit. p. 7. 1. dicebo, docebo. l. 11. Sto. Sancto. l. 37. loquetur, loquitur. oppipum, oppidum. p. 8. 2. Ognei, Ognes. l. 12. Aspeitia, Aspeithia, l. 3. Snor, Señor, l. 18. Gauener, Grauener, l. 25. Loyalæ, Loyoli. p. 9. 2. quæ, que. l. 7. candissimo, candidissimo. l. 32. erudissime, eruditissime p. 10. 5. Arbieu, Arbiæu. l. 11. passiuum, passuum. l. 12. Loyolei. Loyolæi. l. 27. onateria, oñes. p. 11. 1. Loylæi, Loyolæi. putroni, patroni. 11. 18. Arbieu, Arbiæu. l. 20. induit, inducit. p. 13. 9. prosecuta, prosequuta. l. 17. pullus, pullu. l. 32. insigne, insignes. p. 14. 28. tot ius, totius. p. 15. 32. titocinio, tyrocinio. p. 17. 17. iuuisse, iussisse. l. 35. bos, boz. p. 18. 20. Lautetio, Laurentio. p. 25. 17. Bellarminium, Bellarminum. p. 27. 11. diligem, diligam, p. 30. 24. Cassinatem, Casinatem. l. 25. Maffei, Maffeij. p. 22. 25. socijs, socij. p. 24. 4. XXXVIII, XXXIV. p. 36. 21. totius, solius. 37. 1. postremissum, postremissimum. 38. 16. medio, modio. 39. 24. iudicis, indicis. l. 25. præsidium, præsidum. p. 40. 7. equo vitulo, vidulo. l. 11. quid, quod. p. 41. 5. hinc, huc. l. 6. iterim, interim. l. 10. noxiam, non iam. l. 11. Motcione, Marcione. l. 22. esse, est. p. 42. 18. inficentissimum, inficetissimum. p. 43. 12. Faligatto, Fuligatto. p. 45. 3. natiolanem, nationalem. p. 45. 16. dissentitia, disenteria. p. 46. 16. dicæ, dicis. 11. posteriore, posteriorem, 37. promtissima, promptissima. p. 48. 26. tironum, tyronum. l. 30. 35. T.R. Inst. Renun. p. 49. 12. capescenda, capessenda. 18. T.R. Inst. Renun. l. 30. simili, simile. p. 50. 2. me, nec. l. 13. figendi, fingendi. l. 28. exscribo, hæc scribo. 31. ammissi, admissi. p. 51. 3. peruncta, peracuta. l. 17. sunt, sint. 54. 11. anima, animo. 59. 9. quoque, vnoquoque. p. 61. 6. acuset, accuset. l. 17. exunte, exeunte. 28. comprimere, imprimere. p. 63. 25. atque, atqui. 75. 3. ne vnus, vnus. 78. 39. certa, sarta. 80. 5. fuerit, fuerint. 82. 13. sentetias, sententias. 88. 2. elum, illum. 83. 15. voce, voti. 90. 17. mesor, mejor. 13. acconsesa, acconseja. 13. executará, executará. 25. Prelatus, Prælatus. 97. 2. obligaret, *geminanda vox*. 103. 16. apta, aperta. 23. negat, neget. 106. 12. Lusitanicis, Lusitanis. 108. 37. vidissem, vidi. 112. 9. Montisserratoque, Monteserratoque. 114. 39. vndicem, vindicem. 121. 25. iniuriaro, iniurato. 122. 6. octaginta, octoginta. 127. 8. consequentibuo, consequentibus. 128. 38. piramide, pyramide. 129. 37. propolam, propalam. 130. 19. Puchium, Puchius. 131. 20. Hulquam, Nulquam. 140. 9. Pompeiolitano, Pompeiopolitano. 141. 25. plenè, planè. 142. 11. opifices, apices. 144. 25. epographe, epig[illegible] clancularium calumniam. 159. 34. seguiora, peiora. 160. 2. adseruentur, adseruantur, 167. 15. Cosimo, Cosmo. 35. dicere, *deleatur*. 168. 34. 20. incohare, inchoate. 183. 24. subselijs, subsellijs. 192. 5. Mogontinorum, Moguntinorum. 8. dedemum, demum. 193. 20. ac L, at L. ac toto, at toto. 195. 25. consumato, consumatus. 196. 39. Deum, teum. 205. 7. vmbellicum, vmbilicum. 206. 31. censerit, censuerit. 207. 31. bellissima, bellissimè. 208. 10. fassiculi, fasciculi. 208. 33. rigidæ, rigidè. 34. duritiæ, duritie. 209. 9. insolentissima, insolentissimè. 210. 26. Tionæo, Tianæo. 213. 8. Auas, Arcas. 220. 19. eleuari, elucari.

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis IESV *Præpositus Generalis.*

CVM Opuſculum P. Ioannis Rhò noſtræ Societatis Sacerdotis, inſcriptum *Achates contra Pſeudo-Conſtantini Caietani libellum, de religioſa S. Ignatij, ſeu Enneconis vita, &c.* tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur ſi ita ijs, ad quos pertinet videbitur. Datum Romæ 21. Martij, 1643.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur ſec. &c.

Petrus Ioannes Abbas Lantes V. G. Piſarum.

VT ſupra ſcriptum Opuſculum ad.R.P.Ioannis Rhò Societatis IESV Concionatoris P. huius Eccleſiæ Piſarum à nobis reuiſum Imprimatur, licentiam concedimus. In fidem, &c. Dat. Piſis in ædibus S. Officij. Die 3. Aprilis, 1643.

F. Bernardinus Manzonius Cæſenas, Inquiſitor Generalis Dominij Piſanj.



IOANNES RHO CONSTANTINO CAIETANO MONACHO CASINATI, Abbati S. Baronti V. C.

S. I. G. P.



Ts i non sum nescius, erudi- 1.
tissime ac Religiosissime *Mirum est Libellum famosum editum fuisse*
Constantine, turpe esse homini
seni, & non omnino bonarum artium ignaro, futilem, damnatámque à sapientibus vulgi vocem vsurpare; tamen eam nescio cuius tenebrionis, qui se tibi amicum profitetur, fore aliquando impudentiam, vt in hac tantâ Barberinæ gentis regnante modestiâ se in publicum dare auderet, dicere compellor, *Non putabam.*

II. *D. Constantini Caietani nomine.*

Quid enim impudentius, quàm tibi viro ab eruditione, atque à religiosâ modeſtiâ notiſſimo Libellum oppidò ineptum, & vanitatis, malignitatíſque pleniſſimum affingere? Quaſque tu opinationes, ſuſpicionéſque tuas in aduerſariis prudentiſſimè abditas, diligentiùs ſcilicet, vt hominem ſapientem decuit, examinandas, continebas, in Libellum redigere, atque atroci felle reſperſas, nullo ſacrarum legum metu, ita vulgare, vt quaſi exutâ, quam Vrbano debes, reuerentiâ, abiectâque, quam cum Societate noſtra colis, amicitiâ, homo in iſta Vrbana luce notiſſimus, libellum clanculario ſcelere in lucem protruſiſſe, Societatíſque homines tibi peramicos, ipsúmque Ignatium clarum ſanctitatis nomen, peſſimis modis laceraſſe videreris.

III. *Quem illius non esse satis probat ratio ſcribendi.*

Porrò confictum tuo nomine ab homine nobis infenſiſſimo, quicumque ille demum ſit, quem Deus ſeruet, ac multis magníſque mactet bonis fuiſſe librum præter ea, quæ prædixi, multa ſunt, quæ mihi vt credam, fidem faciunt. Cùm enim quæ hoc in libello ſcribuntur, cum alijs à te ſcriptis pugnent, cùm libros tuos tacito nomine in teſtimonium mendaciorum aduocet, cùm ea in ſcriptoribus hiſtoricíſque noſtris accuſet, quorum ſimillima in tuis libris à te olim ſcripta ſunt; alterutrum ſequi eſt neceſſe, aut te planè inſanire, quod nemo ſanus dixerit, aut alienâ ſed non ſatis cautâ fraude librum fuiſſe conſarcinatum,

quæ

quæ quàm vera sint in loco docebo.

Accedit totius Congregationis Casinensis, quo nomine nullum Religiosas inter familias, illustrius habet Christiana Respublica sensus & dolor; neque enim sine ingenti animi dolore ferre potest, vnius è suis nomine Societatem hanc nostram minimam, quam semper complexa est peramanter, adeò impotenter laceratam fuisse, ipsíque Ignatio iam inter Sanctos relato tam petulanter illusum. IV. *Et sensus Congregationis Casinensis illustrissimæ,*

Qui totius Congregationis sensus, quæ prudentissimorum Monachorum mens sit, quæ sententia, quàm grauiter audaciam perditi hominis ferant, atque impudentiam detestentur, quamquam plurimorum sermonibus, litterísque probare possim, vnius tamen Marci Antonij Scipionis, viri eruditione, moribus, ac Religione nobilissimi testimonio ex recentissimâ elogiorum Casinentium editione demonstrasse sufficiat. Is enim in Appendice, quam de Ignatij commoratione Casinensi, elogijs illis elegantissimis, quibúsque Casinensis antiquitas plurimum debet inseruit, sic de ignoti huius Sycophantæ audaciâ grauiter ac dolenter expostulat, vt & religiosissimi ac grauissimi Ordinis sensum luculenter exprimat, illiúsque temeritatem retundat. Audiatur: *Quò sanè iniquiùs ferendum nobis est, ac dolendum magis, inuentum esse nuper temerarium nescio quem, qui opusculo D. Constantini Caietani Abbatis præfixo nomi-* V. *Ex Marci Antonij Scipionis viri eruditissimi testimonio,*

ne impresso, ausus est probrosa in Ignatium eiusque Societatem inserere: quæ præterquam quod à proposito Authoris themate, ac scopo aberrant longissimè; tam ineptam putidámque obijciunt legẽtium oculis, ac mentibus rerum turpitudinem, vt à probis ingenuisque animis ne leuiter quidem percurri possint sine rubore ac stomacho. Tantum abest vt prudens quispiam ab homine Religioso, eodemque Sacerdote, ac Præsule, vltimæ iam lineæ admoto, conscripta, typísque Orbi Christiano ad legendum propinata fuisse arbitretur; cùm intelligat, vix ab impensè perdito, perfrictæque frontis & deploratæ conscientiæ nebulone potuisse designari. Iure igitur optimo Casinensis Respublica tum modestiæ suæ, & in omnes Religiosorum familias obseruantiæ singularis, tum Maiorum suorum in Ignatium, dum apud ipsos hospitaretur, summæ humanitatis, beneuolentiæ & cultus, non immemor; istius (quicumque demum is fuerit) impudentissimo conatu non potest non vehementer commoueri ac succensere, qui Ignatium Cælo receptum, & publicis Ecclesiæ tabulis Mortalibus venerandum, ludos facere, eiúsque illustrissimam Societatem criminari, & in summam apud omnes inuidiam vocare voluerit, Monachi Casinatis, atque adeò Abbatis personam impudentissimè mentitus.

VI. *Et improbitas scribentis.* Hactenus Scipio; quibus abundè constat, authorem libri contra quem scribimus, neque te esse, Constantine, neque Monachum omnino Casinatem, sed hominem esse, qui Casinati, tuóque nomine se fucum facere posse Lectoribus sperauerit

rit impudenter; Castiùs enim ac reuerentiùs in homines Superósque scribendum erat, vt falleret. Sed asinus numquam, si rudat, leoninâ sub pelle satis latere potest, quamuis eam strenuè induat; enormi enim ac ridendâ, quæque, vt vt altùm resonet, nihil generositatis habet, statim proditur voce. Nihil in hoc libello Benedictinæ modestiæ, nihil illius est magnanimitatis, quæ suæ conscia dignitatis ac magnitudinis alienis non inuidet incrementis, & suâ mole stans vicinorum ruinis attolli se posse non credit. Supra omnem inuidiam est Benedictina dignitas, siue rerum gestarum amplitudinem, siue antiquitatem Ordinis spectemus. Et quamquam ex veteri illa magnitudine aliquid detriuerint secula, quod hodiéque superest splendoris, quocumque te vertas, adeo collucet, vt quæ olim claritas fuerit, cogitatione vix assequi possimus, cùm præsenti euerberemur. Quæ cùm ita sint, nihil ab honestissimi, amplissimi, tótque iam ætatibus celeberrimi Ordinis alumno abesse longiùs debet, quàm inuidentiæ liuor, quo cùm tota huius hominis scriptio fœdè suffundatur, eam Casinatis Monachi non esse liquidò constat.

VII. *Et ipsius Constantini confessio.*

Audio etiam ab amicis, & nuperrimis eorum litteris moneor, te palam profiteri coram viris magnis, vt aliqua tibi non omnino improbentur, librum tamen te pro tuo non agnoscere, quod ego libentissimè credo; quî enim vir sapiens fœ-

tum

tum adeo deformem tollat? Quanta verò hominis illius fuerit petulantia, qui nomini tuo tam licenter illusit fando quis explicet. Sanè, non huiusmodi nominis tui fama est, quæ huiusmodi dehonestamento debeat infuscari.

Grauissima igitur nomini tuo ab homine isto illata est iniuria; nam te suo hoc in libro non modò ineptum, & indoctum, & Latinè ignarum; sed liuidum, sed malignum, sed mendacem, sed impium effingit. Quàm iure his te nominibus appellanti irascereris? quàm meritò iniuriarum postulares? quàm omnium iudicio reum damnares? At longè grauior est huiusmodi mores fingere, quàm voces iacere. Si fœdæ, ac monstrosæ imagini oculis lippis, naso distorto, mucosis naribus, pendulis labris, rictu diducto, dentibus aprugnis, toruâ fronte, barbâ hircinâ, nomen titulúmque tuum quispiam apponeret, ac ridendam proponeret in theatro, quâ illum pœnâ dignum iudicares, Constantine? Nihilominus in te peccauit planus iste (nam imago animi stilus est) qui scriptionem inelegantem, imperitam, liuidam, virulentam, mendaciloquam, impiam tuo sub nomine ausus est in lucem hominum dare. Quasi verò tu non esses Constantinus ille, à quo & Caietanæ familiæ amplitudo, & Benedictini nominis dignitas, & Abbatis honestas, & bonarum litterarum professio, & antiquitatis cognitio, & Vindicis Benedictini cognomen, & edita veterum

rum

rum monumenta, & illa, in qua viuis Vrbis sanctitas, & Vrbani VIII. cui te probatum maximè velis, maiestati par, morum exactissima censura modestiam, moderationem, prudentiam, ac pietatem iure suo reposcunt.

Hanc ego rem tibi maximè dolere non dubito; & quia iustus est dolor, vltum ire te velle mihi certissimè persuadeo. Quamobrem, quamquam acre tibi ingenium, & multum scribendi vsum esse, nec lentum, vbi iusta exarsit ira, in hostes cornua tollere te posse non ignorem, ACHATEM tibi me præbere constitui, vt dicere non dubites VIII. *Quare operæ pretium erit eidem ad confutationem arma ministrare.*

Suggere tela mihi.

Faciam igitur non illibenter, vt ea eloquentiæ tuæ viribus exinde amentata validè impudentissimum in hostem intorqueas, & monstrum hoc simulationis, proditæque amicitiæ planè conficias. Quum igitur nihil ille habeat, quod ad caussam, quam suscepit, imo ad accusationem, quam instituit confirmandam admodum faciat; ideóque te perridiculum viris eruditis effingat; contrà verò malignitate agat, téque vt liuidum, atque alienâ quamuis exiguâ, luce offensum inducat, ita disputationi huic meæ moderabor, vt argumentorum, quibus vtitur, vanitate demonstrata, tum malignitatem hominis (quâ nihil profectò à te magis alienum ducis) vel latitantem in lucem protraham, vel impudenter sese inferentem, iactantemque compescam, nominíque

c tuo

tuo ab hac tanta infamiâ, quâ illius scelere conflagrat, vindicando, amicam, & tibi non ingratam operam nauem. Quò verò rem totam distinctiùs proponam, & opportuna singulis illius Ineptijs configendis arma sufficiam, illarum titulis orationis hanc primam partem interstinguam. alterâ verò Malignitatis eius nota explicabo. Tu interim famâ tuâ fruere, laboremque hunc meum boni consule, ac diù & felix vale. Pisis Pridie Kal. Aprilis, Anno CIↃIↃCXLIII.

LECTORI



LECTORI CANDIDO.

PROBROSIS LIBELLIS Respondendum esse : contrariæ rationes afferuntur & reijciuntur : dicta, & exempla Patrum in hanc rem recitantur.



CIO viros graues, quique suo sibi iudicio placere possunt non defuturos, quibus mirum videatur, libellis quamuis probrosis qui vel ab apertis iuratisque nominis nostri hostibus, vel ab his qui quantulacunque, hac nostrâ mediocritate, quasi ea aliquid esset, offenduntur, sæpius iam in lucem prodeunt, aut Societatem omnino respondendum putare, aut me partes eas semel iterumque suscepisse: Neque vna idem opinandi omnibus ratio esse cum videatur, omnes mihi hoc loco sunt afferendæ. I. *Mirantur aliqui cur probrosis libellis respondeatur;*

Indignum igitur nonnulli putant nostrâ vt amanter loquuntur, magnitudine id esse, cui inuidorum maleuolentia non officiat: euanescere aiunt calumnias suamet leuitate difflatas; conuitia & probra spernenda, vt obsolescant; ne si irascaris, quòd ille ait, agnita videantur*: moribus non verbis pugnandum.* II. *Quasi à Societatis grauitate id alienum sit:* Tacitus.

Nam ex veterum scitis, Iacula in solidum illata retorquentur, *Solem Troglodytis ne quidquam maledicentibus lætissimè exoriri, Lunamque canibus incassum baubantibus, vel Thessalis carminibus adiurantibus cursum inoffensum tenere: magnorum hoc esse virorum, vt quò altiùs assurgunt, eò acriùs obseruentur, tum ab iys, qui se illis minores esse nolint, tùm ab his, qui pares timent.* III. *Nam viris magnis nihil officit calumnia,*

IV. *Vel certè id ex Christiana modestia non sit,*

Alÿ, quibus amor rerum nostrarum nihil imponit, respondendum quidem negant, sed altâ longéque diuersâ ex Christianæ modestiæ arcanis petita ratione se idem conficere arbitrantur. Non enim esse hominum, qui Christo peculiare dixerint sacramentum Maledicentibus comminari, *quod ille non fecit; sed illud Pauli facto repræsentare* Maledicimur, & benedicimus. *Quid enim vltimos Iapones inter palmam Martyrÿ se quærere profitentur, qui ad leuissimas verborum contumelias vehementius commouentur? genus hoc esse martyrÿ, dissimulasse.*

V. *& Reip. perturbati,*

Nec desunt, qui publicæ pacis veluti custodes, quasi eâ cum potestate essent, quam Græci suis olim Irenarchis attributam voluerunt, huiusmodi responsionibus, vel offensis, & lacessitis pro impio interdici è Republica esse credunt; ni fiat, contentiones gliscere, lites feri immortales, religiosas familias inuicem committi, hostibus Ecclesiæ ludos præberi, bona ingenia inutilibus atteri, non nisi publico damno priuatam constare victoriam; ac proinde Reipublicæ iniurias atque offensas condonandas, & concordibus animis in vitia, & hæreses, veros scilicet hostes, arma viresque vertendas.

VI. *Et me præcipuè indignum sit.*

Atque sic quidem de re totâ disserunt; de me verò queruntur, quasi minùs dignum sit homine, qui tot iam annos aliquâ cum laude, vt ipsi quidem loquuntur, vt verò ego non inficior, sine cuiusquam offensione, Italiâ totâ, atque in Vrbe præcipuè de Sanctorum laudibus dixerim ad concionem, eorumque laudationes editurum me non semel amicis pollicitus fuerim, ita mutatâ veluti velificatione, ad hoc defensionis genus, quod vix ab accusatione disiungitur, vergente in senium ætate esse conuersum, quasi me senectus fecerit amariorem.

VII. *Ideo reddenda consilÿ est ratio.*

Hæc siue ex animi sententiâ à viris bonis, grauibúsque dicuntur; siue ab his, quos vinci pudet, doctis adornatísque querimonÿs ad conflandam in circulis, aulísque inuidiam disseminantur, quia sine aliqua probabilitate dici non videntur, à nobis ita sunt diluenda, & nostri consilÿ, meique fa-

cti

cti rationes ita sunt afferendæ, vt vel à parum æquis iudicibus absoluamur.

Atque vt de me primum respondeam, non ego is sum, qui amaritudine aliqua ad scribendum accesserim; amo ego etiam hostes, eosque impensè in Christo diligo, proque illorum felicitate bonas me preces precari palàm profiteor, testemque habeo Deum me non mentiri: sed nihilominùs eorum vel libertatem maledicendi, vel licentiam obtrectandi odi, ac detestor, eamque, quoniam id Reipublicæ interest, mihi acriùs castigandam censeo. Scimus mellilegas illas volucres, quæ Distendunt nectare cellas, *aculeis exertissimis cerea sua castra propugnare, nec ideo minùs esse mellificas. Siue lenioris negotij has esse defensiones aliqui arbitrentur, cur hanc ego prouinciam recusem, qui tot inter magnos viros, quibus floret Societas, vltimo in loco consistere mihi perhonorificum duco? siue non nisi à viris magnis suscipi debeant, cur ego id oneris subterfugerem, in quo, dum supra vires conor, eius, cui à puero assueui obedientiæ, specimen edam? Tanti mihi est paruisse, vt calumnijs ab officio deterreri non possim. Nimium quantum ego Societati debeo, vt pro illius dignitate nullum huiusmodi periculum obijci possit, cui non libentissimè occurram: minùs amant, qui tueri nolunt: nec quisquam me Matris iniuriâ dolere mirabitur, qui me filium nouerit: omnibus ego Socijs eundem animum esse non dubito, viresque pluribus longè maiores suppeditare noui; sed vt iniussi pugnare non didicimus; ita iussi periculum, laboremque non defugimus.*

VIII. *Ac primo nullâ id à me amaritudine fieri docetur,*

IX. *Sed parendi studio, atque in Remp. nostram amore,*

Neque pollui defensione veritatis os diuinis, sanctorumque hominum laudibus dedicatum, sed consecrari credendum est; cum veritas siue falsa depellat, siue rectè facta dictáque laudet, eadem sit, primogenita scilicet diuinitatis; eius nos ingenium in luce hac nostrate intuemur; ijsdem enim radijs quibus tenebras fugat, floribus, & pretiosis lapillis venustatem, ac pretium addit. Leuitarum manus, sacrificijs olim nobilitandas, sanguine nihilominùs impiorum

X. *Quódque laudatorem Sanctorum genus hoc scribendi hoc non dedeceat.*

dedicatas esse Deo Legissator edixit. Hæc eadem sensisse magnos Ecclesiæ Patres, qui in vtroque dicendi scribendique genere immortali cum laude versati sunt palam est, de quibus iam dicam.

XI. *Eluenda calumnia, dum recens est, ne posteris noceat.* *Vt enim totius consilij nostri rationem viris grauissimis reddam, aio quàm maximè è Republica esse libellis, quibus Societati nostræ, siue cuicumque Religiosæ familiæ (quantò id dicendum magis si de Ecclesia Dei agatur) stigmata infamiæ inuruntur scripto, & quidem paulò acrius responderi. Principiò enim, licet magnificè in speciem dicatur, huiusmodi* spreta obsolescere, & calumniã progressu temporis nihil esse imbecillius, *quod apud Stobæum aiebat Demosthenes, attamen non vsque adeò verè dicitur, quin reponi possit, spreta inolescere, silentiumque quamuis modestiæ aut magnanimitatis proles sit, plerosque vt conscientiæ confessionem interpretari: adeoque, etiamsi statim occurras, famam existimationemque vulnerare, vt vestigia vix deleri possint. Hinc illa Medy Alexandri magni parasiti vox verissima plena vecordiæ,* Quodlibet crimen in quemlibet intendite: vt maximè sanet vulnus, qui læsus est, manet tamen cicatrix. *Isocrates verò ille, qui sapientiam cum eloquentiæ suauitate coniunxit, rem totam atramenti supra candidam c[a]rtham stillantis egregiã explicauit similitudine. Nulla enim tanta potest adhiberi diligentia, non ita spongiã detergi, non ferro tam feliciter abradi, vt pristinum detur in candorem. Imo sæpe ruptã cicatrice recrudescunt vulnera, quæ aliquando nullis argumentis persanari possint. Ne longiùs quæsitis exemplis vtamur, Florentini adolescentis à nobis anno* C I Ɔ I Ɔ C X X V I. *vulnerati rumor quàm strenuè ab ijsdem nobis spretus fuerit, norunt omnes; Consedit ille quidem vt vanitatis manifestus, sed quia solo silentio vsi tunc sumus, non ita deleta suspicio est, quin post annos omnino XV. iterum ab hoc Pseudo-Constantino excitatus, & probrosissimo libello assertus, per totam, quàm latè patet, Europam deditus fuerit, tanta infamiæ celebritate, vt nisi aliqui ex his, qui agendo interfuere adhuc superstites suo veritatem testimonio tuerentur, nisi ego legitimas actorum tabulas essem*

Serm. 40.

adeptus

adeptus, calumniæ fuerit succumbendum. Fac post hos quinquaginta annos edi ab aliquo alio Pseudo-Constantino (nam meliora vt in nos olim sint maleuolorum ingenia, nisi peiora nobis sint studia, sperandum non est) fabulam illam confictã vulgataque Epistola confirmari, quæ tam tetri criminis eluendi facultas futura tunc illis est, qui nos consequentur? Nemo eorum, quibus nota res fuit supererit, nullæ tabulæ, nulla monumenta litterarum loquentur: quî diluere calumniam poterunt posteri post annos quinquaginta, cùm intra hos XV. annos plerosque ex illis, qui rem spectarunt fato absumptos testes nos ipsi citare non potuerimus? Ea hominum persuasio est, quæ in antiquis monumentis, siue Ciuibus, siue Regibus obiecta leguntur, vera admodum esse, nisi contrarijs monumentis dedoceantur; illud enim pro constanti habent, si falsò fuissent obiecta, non dissimulaturos, qui petebantur. Itaque vbi defensionibus huiusmodi caremus, incredibilis labor est vetera commonentium, vt magnorum virorum famæ consulant, eiusque sarta tecta tueantur, quod nemo eruditorum ignorat.

Scimus & nos, quod nobis humanitate ac beneuolentia, quæ plurima in nos sunt, à summis viris occinitur, pertinere hoc ad magnitudinem nominis, si ab inuidis laceretur, quasi verò dici posit: Feriunt summos fulmina montes; *at quia nostræ humilitatis egregiè conscij sumus, rem totam longè aliter, & ex vero, interpretamur: humilia nimirum atque humi abiecta ea esse, quæ passim obteruntur. Sapienter olim Piso, nolle se in eum scribere dixit, qui posset proscribere; quod cùm à priuatis non timeatur, quid illis fiet, si nequidem rescribere illis liberum sit? si ne quidem obiecta veritate calumniæ os obstruatur, atque euerberetur? vltra Sauromatas fugiendum erit, quod ait ille, si constricti hostibus dedimur.* XII.

Humilia, vt nostra sunt, facilè obteruntur.

XIII.

Librorum proscriptione non satis innocentium famæ consuli;

At inquiunt, legum auxilia non deesse, quæ inualida dici sine iniuria non possunt, & grauissimis edictis succidi subinde spuria hæc libellorum vitulamina qui Ecclesiæ indi-

cio

cio proscripti, & confixi plane concidunt, abiecti que latent. Fateor ego egregiam EE. Ecclesiæ Patrum vigilantiam, seueritatemque amplector, vt Reipublicæ salutarem; sed proscriptionibus huiusmodi innocentium famæ satis vt consulatur, non sine caussa subuereor. Configuntur quidem edictis diræ veluti serpentes, sed vel ipsa cadauera virus retinent, quod penitus non amittunt nisi opportunis apologijs quodammodo conterantur.

XIV.

Quòd aut leganiur acriùs, aut veri, sed noxij plerumque credantur;

Quàm multæ enim gentes sunt, quæ hæresum afflatu reuerentiam obsequiumque Ecclesiæ debitum exuerunt, apud quas, etiam post damnationem, impunè volitant, acriùsque leguntur libelli? quàm multos etiam Catholici nominis esse opinamur, qui huiusmodi libellos non ea caussa proscribi, quòd falsa, & per calumniam conficta contineant; sed quòd ea sciri ac legi, quamuis vera sint, minùs decorum sit; ideoque in tabulas vetitæ lectionis referri arbitrentur? Et verò non vna librorum prohibendorum caussa falsitas est, multa etiam vera sunt, quæ scriptis vulgare Reipublicæ noxium, aut certè formidolosum est: Itaque proscriptionem non statim falsitatis atque calumniæ opinio sequitur; cum aliæ sint caussæ proscribendi. Non igitur sat famæ consultum, nisi propalam calumniæ atque iniuriarum conuincantur, doceaturque seculum, iustè in famosos libellos fuisse animaduersum. Hæc qui animaduerterit diligentius, expertusque re ipsa fuerit, quàm verè dicantur, fore vt nobiscum sentiat, certissimum habeo.

XV.

Ut propterea scripto falsitatis sint arguendi.

XVI.

Nulla perturbatio ex necessaria sui defensione sequitur.

Qui verò de perturbanda Republica timor obijcitur, is mihi sanè leuior videtur, quàm vt à iusta sui defensione quemquam debeat deterrere, neque enim is est quem viri oppido cauti sibi fingunt. Quæ obsecro perturbatio sequitur, qui tumultus concitatur, cum de iure finium, exempli caussa, cæterisque huiusmodi iudicio Religiosi experiuntur? Si ne quæ turbæ oriantur, cedendum inuasoribus est, quis nesciat actum esse de bonis omnibus, si quempiam lubido incesserit occupandi? cum ea dubio procul, minus quàm fama & existimatio à viris honestis æstimentur? Cùm igitur iudicio ius suum prosequi, actionemque iniuriarum intentare, non

adeo

adeò expeditum sit, & quamuis iudicio victor aduersarium condemnes, non ideo famæ recuperatio consequatur, quod supra demonstrauimus, reliquum est, vt calumniarum depellendarum alia ineunda sit via, quæ nulla sanè, quàm scriptio excogitari potest expeditior.

Id ego omnium ætatum exemplis iamiam confirmaturus illis, quæ de Christianâ modestiâ dicuntur, paucis prius debeo respondere. Quamquam enim sat sciam illi in votis esse aspera multa, & difficilia perpeti, & Apostoli sententiæ mihi non lateant, & animo generosa illa S. Augustini verba non exciderint, in quibus maximam capimus quietis partem, Senti de Augustino quodlibet; sola me conscientia coram Deo non accuset. *Non ideo tamen oblitus sum antiqui ab eodem Dei numine Oraculi, quod apud Sapientem legimus*, Calumnia conturbat sapientem, *siue quod Græci malunt* pauperem: Et perdit robur cordis illius. *Grande ac verissimum dictum, cuius, qui Hæbraicè norunt vimque verbi* Mehol *siue* Mechhol *quod noster conturbare commodissimè reddidit interpres, penitus introspiciunt exaggeratam adhuc magis sententiam esse contendunt. Tantumdem enim esse aiunt, ac si diceret, adigi ad insaniam hominem, aut cor frangi, quamuis egregijs dotibus munitum. Vtcumque interpreteris, magno & memorabili Moysis exemplo doctus timebat Dauid; Quis enim sibi à calumnia malum non timeat, quum illius vi mitissimus ille hominum, Legislator ille sanctissimus, ille, qui vultum instantis tyranni non expauit, Moyses veluti ariete impulsus aliquantulùm nutauerit, deque illa sublimissima in Deum confidentia paululum fuerit deiectus, magnâque pœna mulctatus?* Vexatus est, *inquit Dauid*, Moyses propter eos, qui exacerbauerunt spiritum eius. *Quod si quis adeo Christi exemplo exarmatam calumniam arbitratur, vt nullum ei ad conturbandos magnorum virorum animos virus iam supersit, dedocebit illum egregiè Basilius Magnus, cùm lectis probrosis de se litteris*: Ita se ab illis mordentibus ac iugi memo-

[Margin notes: XVII. *Calumniæ vis perturbat sapientem*; Ad Secundinum.; Ecclef. 7. 8.; Pagninus. Tigurina.; Psal. 105.; Ep. 82.]

ratione turbantibus versari se sentit, vt nihil ad illas responderit; non quod ex contemptu siluerimus, *inquit*, (ne cogitet hoc frater:non enim hominibus loquimur,sed in conspectuDei inChristo loquimur)sed quod præ hæsitatione ac cordis inopia non habebamus, donec ad hũc modum affecti eramus.quod tantâ mœstitiâ dignum exprimeremus: *Quid ego hîc audio? calumniâ Basilius ad cordis inopiam redactus est? Basilius ille, qui Christianæ philosophiæ magisterium tanta Reipublicæ vtilitate exercuit? qui sæuientibus Augustis animo celsissimo sese obiecit? qui paratum se mori libentissimè pro Christi fide professus est? Basilium ad inopiam cordis redegit calumnia, cuius sapientiâ supra omnes regum gazas opulentissima post tantum æui adhuc fruitur Ecclesia? Nemo profectò mirabitur si nos pauperes calumnijs conturbari, roburque cordis, si non perdi, arietari certè sentimus, quum iniquissimis libellis, calumniarumque plenissimis, sermonibusque hostilibus, adeoque cruentis petimur, laceramur, proscindimur. Sed longiùs adhuc latiúsque pertinet oraculum de calumniæ peste, si ea non vnius hominis sed familiæ aut gentis fama petatur, si Respublica stigmati infamiæ inuratur; Quod si illud accedat incommodi, vt siue per errorem, siue per benè doctam fraudem calumnia ita adornetur, vt à vero paululum abesse videatur, res est omnino intolerabilis. Nam si qui sunt, quos ob acerrimam mentis perspicaciam vel ipsas inter calumniarum densissimas tenebras veritas non fugiat, eis aiebat Mirandulanus,*

In Apologia. Non scribo, à quibus iam impetraui, quod tota nostra contendit Apologia, ijs scribo, qui me aliquando hæreticum fuisse credunt, aut suspicantur. *Eadem ego ratione ijs me scribere prædico, qui ex Pseudo-Constantini calumnijs nos ingratos, nos arrogantes, nos temerarios, mendaces, legirupas, impios cuiusmodi nos ille fingit, non equidem dicam credunt, sed suspicantur. Diù satis olim siluimus, cum sex ipsos annos obiecta à N. dissimulauimus, &*

sat

sarcasmos laudatorum eius triennium integrum taciti pertulimus; vt cum Basilio calumnijs appetito dicere possemus, Et nobis igitur iam in tertium silentij annum imitabilis virtus est, *quasi vltra non esset*, Prophetæ gloriatio illa, quæ dicit, Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Ep. 81.

Senserat calumniæ vim Vates ille diuinus, expertusque fuerat, quàm acre ac noxium virtutibus virus sit, ob eamque rem intentissimè precabatur: Redime me à calumnijs hominum; vt custodiam mandata tua, *cuius consequentiæ exaggeratam illam rationem afferebat Ambrosius, quòd qui* calumniâ opprimitur, tristitiæ necesse sit vt plerumque, aut dolori cedat, & affligatur, vel metu calumniæ vel dolore. XVIII. *Ob eamque rem Dauid ab eâ se redimi postulat*

Egregia planè commentatio, qua tamen altiùs, nisi opinione mea fallor, assurgit Anthiochus vetus ille Pandectarum sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ *auctor, qui pro redemptione à calumnia eximio scilicet beneficio, quod à Deo petebat*, obligare se ad mandatorum Dei custodiam *Dauidem interpretatur. Verùm quanta, quanta sit calumniæ acerbitas, si priuato nostro malo effunderetur, dissimulare tamen hominibus Cruci deuotis post Christi exemplum, qui calumnijs appetitus, vt cum Ambrosio loquar*, Silentium detulit triumphale, *non adeo difficile videri possit; quamuis enim vt olim aiebat Nazianzenus:* Molestus hostis sermo contumeliæ, *nihilominùs vinci potest, aut etiam debet patientiâ, quam meliorum confirmet spes, quæ verè appellari potuit ab Ambrosio* Deuorandæ contumeliæ grande inuentum. XIX. *Et seruaturum se legem pollicetur,* XX. *Ijs, qui quæstum faciunt animarum non dissimulanda calumnia;*

Verumenimuerò cum Religiosarum familiarum, quæ se totas animarum quæstui addixerunt eæ rationes sint, vt nisi bona vtantur fama rem animorum facere non possint, atque non ipsæ tantùm familiæ, sed cuicumque id oneris incumbit, eadem is lege viuat, hinc factum opinor, vt post Christiani nominis memoriam viri longè sanctissimi non modò

calumnias probrosis, famosisque libris vulgatas, verùm
XXI. *etiam incommodos hominum de se, suisue sermones dissimu-*
Nam famam custodiendā docent Patres. *landos non putauerint. Id illi quoniam non minùs strenuè quàm fecerint, etiam docuerunt priusquam gesta spectemus, quas hac in re dixere sententias, indicandæ sunt. Dabo paucorum, sed maximorum virorum dicta, contra quæ nemo est tam superciliosè superstitiosus, qui stare audeat. Peruul-*
XXII. *gata est Augustini sententia, quam laudatis Apostoli verbis*
Augustinus, De bono viduit.c.22. *ex Epistola ad Ephesios fulciuit.* Nobis scilicet necessariam esse vitam nostram, alijs famam nostram, & vtique etiam quod alijs ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem. *Eadem repetit siue ipse, siue quicumque Eremiticos sermones scripsit; nam quinquagesimo tertio sic loquitur,* Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo, qui fidens conscientiæ suam negligit famam, crudelis est, maximè isto loco positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum, circa omnes te ipsum bonorum operum exemplum præbe.

XXIII. *Nyssenus Gregorius eloquentiæ & virtutis laudatissimæ*
Gregorius Nyssenus, Lib. 1. in Cant. 16. *antistes de lignis, quibus sponsæ domus extructa fuisse legitur, cupresso nimirum, ac cedro, quarum altera firmitatis æuo indomita cariem non sentit, altera etiam odoris præstantia commendatur, ingeniosissimè disputans sic tandem ait, doceri nos symbolis illis ex Apostoli oraculis,* Prouidenda bona coram Deo & hominibus, & quod oporreat Deo quidem esse manifestum, hominibus autem persuadere, & bonum habere testimonium apud eos, qui foris sunt.

XXIV. *Longè adhuc explicatiùs exertiusque Isidorus Pelusiota,*
Isidorus Pelusiota, Lib. 3. Ep. 208. *grauissimus ille epistolarum scriptor Pharisæo illi Thrasonicè glorianti, Iobi de suis virtutibus prædicationem opponens, hunc laudari ait, quòd quamuis qui in gloria & splendore est virtutes suas occultet, si cum maledictis incessitur, vt illatas contumelias propulset, commemorat (quemadmodum*
Lib. 2. offic. cap. 27. *clarus ille atque omni laude præstantior Iob fecit) ab omni culpa remotus est. Absoluimur igitur Pelusiotæ sententiâ non*

modò,

modò, si maledicto inficiamur, verùm etiam si praeclara maiorum gesta, singulos per annos digesta, opportune praedicamus.

Grandius adhuc aliquid spirat Ambrosius, quem Christianorum officiorum magistrum habemus diligentissimum, cum his verbis nos hortatur: Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem, opinionemque nostram. *Rectè, nam perditae mentis signum est famam sui déque habere. Quid enim illis facias, qui* contemptu famae contemnunt virtutes? XXV. *Ambrosius,*

Senserat hoc Bernardus, periculique, quod ex contemptu famae virtuti creatur, sororem propterea monebat his verbis. Documenta Sanctorum nullâ infamiâ scandalizent vitam tuam, nulla opinio aduersa te contristet. Disce flagrare bono praeconio, habeto bonum testimonium, custodi famam bonam, tua bona fama nullis foetoribus obscuretur, tua bona fama nullis opprobrijs laceretur. *Satis iam sententiarum est, cum praesertim non difficilis hic locus sit, & si res ferat facile Patrum senatus cogi possit.* XXVI. *Bernardus,* Tacitus 4. annal. De modo bene viuendi serm. 15.

Itaque vt ad exempla, quorum ineluctabilior est vis, nostra transferatur oratio, tot, & tam splendidis abundamus, vt pleraque mihi, vt festinanti, & doctis scribenti silentio videam esse dissimulanda. Facem praeluxit lux illa diuinae patientiae Christus Dominus; quamquam enim ipsâ suâ incomparabili patientiâ maximè se Deum comprobauerit; nam Tertulliano teste Patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret, *nihilominus contumelijs, ac maledictis, quibus petebatur non semel, & quidem acriter respondit. Quid enim cùm* Daemonium habere *dicerent, nonne reposuit se quidem Daemonium non habere, illos verò Patrem suum Deum inhonorare? cum de doctrina, quasi errorum auctor interrogaretur, nonne triumphale abrupit silentium, & magnanimâ quadam veluti indignatione se propalam locutum asserens, ad auditorum testimonia interrogantem Pontificem reiecit? Cùm veluti imminutae Pontificiae dignitatis reus de-* XXVII. *Exemplis idem adstruitur.* XXVIII. *Primò Christi Domini.* Tertull. de patien.

 palma-

palmaretur; nonne iniuriam sibi fieri questus, magnifica illa sua documenta de obuertenda percutienti altera gena tantisper seposuit, ne totius officij magister obseruantiam principibus debitam violasse crederetur? Sunt adhuc alia plura, quæ huc ex Euangelica Historia conferri possent, nisi hæc luculentissimè, non semper esse silendum, comprobarent. Idem enim qui olim edixerat Tempus esse tacendi, & tempus esse loquendi, *quænam sint huiusmodi discrimina, facto docuit.*

XXIX. Secundò, Gregorij Nazianzeni. In Apolog. *Cum nimirum incommodis de sacrorum virorum virtute suspicionibus vulnerantur animi, facienda illis medecina est* facti nostri defensione, *quod aiebat ille totius non minùs sanctimoniæ, quàm Theologiæ scientissimus Gregorius Nazianzenus, qui se ferre non posse dicebat* quandoquidem magna Dei benignitate apud Christianos aliquid illi esse contigisset, nonnullos ex ijs, qui res eius tam rectè, quàm secus factas sedulò explorabant, in se offendi, *cuius dicti aliquam nos partem vsurpare posse si dixero, vereor ne superbè me loqui non nemo arbitretur. Certè eo in loco res nostræ sunt, vt ac si ad Rempublicam pertinerent, diligenter obseruemur; Itaque vt idem asserit:* Pulchrum est nec peccando, nec suspicionem subeundo cuiquam scandalo esse.

Ibidem. *Hanc magnus ille vir Apologeticæ orationis habendæ caussam sibi fuisse docet; tantum abest, vt famam vel de vnico facto aduersam sibi putaret esse contemnendam. Quid ego hic de vno Nazianzeno dico? Innumeri sunt, qui hoc in genere scribendi nobis exemplo præiuere, quorum sanctitas extra omnem inuidiam, ac censuram est.*

XXX. Tertiò Hieronymi, *Quotus quisque est, qui Hieronymi cum Ruffino contentiones ignoret? Cur vir sanctus illius calumnias non dissimulauit, vt spretæ obsolescerent? Veritus opinor est, quod postea à Pico Phœnice illo ingeniorum scriptum sua in caussa lego:*

In Apolog. Ne suo silentio, quasi culpæ conscientiâ abuterentur obtrectatores. *Sanè is est Hieronymus, tanta eius in Ecclesia Dei auctoritas, vt qui eius sequitur exemplum, is reprehendi non possit.*

Quid

Quid de Basilio interioris sanctimoniæ antesignano, quique ad omnem virtutem non minùs egregijs rerum gestarum, quàm verborum documentis seculis omnibus Euangelicam facem præluxit, qui eam, quam apud Deum tutam habebat innocentiam apud homines tueri cur instituerit eam egregiam rationem Patrophilo Episcopo reddidit in hæc verba. Verùm quoniam personam Deus in iudicio hominis non accipit, Apologiam illam, quam mihi ad magnum Christi tribunal paraui, & tibi notam facere haud detrectabo. Ep. 82.

Quid de Hilario dicam, qui disertè docuit aliquando Vlteriùs tacere diffidentiæ signum esse, non modestiæ; quia non minus periculi est, semper tacuisse, quàm numquam. XXXI. *Quartò Hilarij.* Ad Constantium 2.

Quid de Ioanne Chrisostomo, qui contra vituperatores vitæ Monasticæ tres libros eosque luculentissimos scripsit? Quid de Thoma Aquinate, qui Opusculo XVII. obtrectatores Mendicantium refutauit? Quid de Bonauentura, qui semel, iterum, tertiùm in eadem arena depugnauit? ac ne quis eum Catholicam doctrinam de Religioso statu contra Gulielmum de Sancto Amore propugnasse tantummodo opinetur, sciat ab eodem Bonauentura editum librum Aduersus eos, qui Fratribus Minoribus aduersantur, *in quo cùm suos defendere non posset, quin aduersarios læderet, Clericorum, qui de libertate Fratrum in Concionibus expostulabant, vitia acriter perstringit vir sanctissimus ac modestissimus.* XXXII. *Quintò Chrisostomi, Aquinatis, Bonauenturæ*

Quid de Cypriano, qui ob secessum sæuiente immani aduersus Ecclesiam tempestate cum malè apud Clerum Romanum audire se intellexisset, adeò famæ incuriosus non fuit, vt Necessarium duxerit ad eos litteras facere, *vt ipse loquitur*. quibus actus nostri & disciplinæ ratio redderetur. *Quid de Athanasio magno illo veritatis, atque homousii defensore, qui ne ob fugam, quam inierat, aduersa fama laboraret, non dubitauit ad Constantium Augustum librum scribere, suique nominis existimationem ac famam tueri, cum posset negligere; siquidem Magnus ille non ignorabat, quod Græcus cecinit Theologus:* XXXIII. *Cypriani, Athanasij.* Epist. 52. In iambicis.

Μεγαλόφρονος τὸ παντ' εὐπετῶς φρενεῖν.

Sed nouerat vir sapientia pariter, atque animo magnus, quod eodem in libro tradit. Qui lapide feritur, medicum quærere: ictum autem calumniæ grauiùs quàm lapides ferire: esse calumniam clauam, & gladium, & jaculum incurabile vt dixit Salomon, quod vbi negligitur, vulnera accepta acerbiora fiunt. *Hanc sibi caussam scribendi fuisse docet Athanasius, & quisquam nos ab eadem arte medicinam quærere mirabitur? Ignoscant nobis homines probi, sed calumnijs, atque iniurijs numquam exerciti; vix enim, quamuis prudentiâ iudicioque valeant, quanta illarum sit vis, satis æstimare possunt; Nam vt grauissimè olim aiebat Felix Romanus Pontifex, sapientiâ & Martyrio nobilis:* Nemo debitorem ampliùs potest cognôscere, quàm ille, qui iniuriam eiusque sustinuit contumeliam.

Apologia ad Constantium.

Epist. 1.

XXXIV. *Origenes.* *Quid si damnum Reipublicæ sequatur? quid si, qui animorum medicinam profitentur, palam per calumniam, aut clanculum in inuidiam vocentur? Audiendus tunc erit Origenes contra Celsum disputans, & suæ disputationis rationem in hac afferens verba.* Quia fieri potest, vt in vulgo fidelium reperiantur aliqui, quibus periculum immineat, ne scriptis Celsi, nisi in veritate fulciantur, Apologia petulantiæ eius confutatoriâ decreui tua iussa capessere, transmissoque ad nos commentario respondere.

Contra Celsum lib. 1.

XXXV. *Acriter esse respondendum docetur.* *At saltem inquiunt modestissimè respondendum, & leui veluti manu obiecta refellenda, ne irasci videamur. Hic ego hominum in aliena caussa mitissimorum, modestiam non accuso, sed eos monitos etiam, atque etiam velim, ne iram ex acriùs dictis interpretari velint; neue iram omnem præpropero iudicio damnent. Refellenda enim acriter calumnia est, ne timiditas conscientiæ arguatur. Iustam defensionem quis vnquam accusauit, etiamsi, quod ait Lapus:* Ensis ense, pede pes, cuspide cuspis repellenda sint.

Alleg 51. in princ.

XXXVI. *Tum, vt è spinis rosas colligamus,* *Amamus & nos rosas, spinasque horremus, quæ sanguinem hauriunt, sed ita comparatum naturâ est, vt sine his*

illas

illas non habeamus. Sanè Ægidius Carlet Cameracensis vir doctissimus, & veritatis acerrimus, contra Boëmos in Basileensi conuentu disputaturus, ne quis dicentis aculeos accusaret, magnificè in hæc verba loquitur. Neque enim ad rosas venitur nisi per medium spinarum, nec mel quis reperiet, nisi se ingesserit exercitui apum. De pœnis peccatorum publicorum.

Quis autem putet siue Hieronymum in Ruffinum scribentem, siue Augustinum contra Vrbicium disputantem, siue Hilarium aduersus Constantium Augustum & quidem è viuis iam exemptum, siue Luciferum contra eumdem fulminantes, siue Anselmum Lucensem in Gibertum tonantem, siue Bonauenturam pro suis Minoribus aduersùs Clericos, siue Bernardum contra Cluniacenses pro suis Cistertientibus stantes Christianæ modestiæ fines aut ignorasse, aut irarum æstu abreptos transiliisse? At si quis eorum commentarios, epistolas, atque Apologeticos libros legerit, is à me docendus non erit, quàm acres, incitatique sint in dicendo, quantâ verborum, ac sententiarum asperitate vtantur, quàm nihil inuidiam timeant, quantâ libertate, vel accusantes refutent, vel errantes castigent. XXXVII. *Quod à viris magnis olim factum legimus;*

Illud calumniæ ingenium est, vt nonnisi ferro curari possit, mollibus irritetur; nam ij, quibus aliena carpere voluptas est, si leuiùs castigentur, sibi nimium quum placent; si aliquanto grauiùs, vt se peti sentiant, serpentum instar efferuntur, atque insiliunt, nec absistunt donec pleno claui ictu elisi, quamuis minas oculis spirent, & veneno inflata colla surrigant, humi tamen iacent, neque se vlteriùs possunt iaculari. Plerique, nisi grandi malo docti reuerentiam veri non discunt. Hanc ego summo illi Pontifici Hadriano, qui rem Christianam primus eius nominis sapientissimè administrauit, caussam fuisse credo eam legem ferendi, vt Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus non probauerit, flagelletur. *Quod si hodie fiat, coria quæ & Americâ* XXXVIII. *Tum ob calumniæ ingenium contumax, atque indocile.* Can. 46. ex 62.

õ plenis

plenis deferuntur onerarijs in flagella non sufficerent : Nihil enim, *vt querebatur Nazianzenus*, hominibus adeò suaue est, vt de rebus alienis sermonem habere, idque præsertim si beneuolentiâ quadam, vel odio trahantur, à quibus plerumque veritas surripi solet. *Quod postremum, cùm ab hostibus vel æmulis fiat, quis ab eorum sermonibus aut scriptis exulare veritatem, & calumniam dominari mirabitur.*

XXXIX. *Non est timenda vulgi offensio.*

Vltima iam superest accusatio eorum, qui hæc inter religiosas familias excitari, atque ali contentionum bella, vt ipsi loquuntur, admodum dolenter ferunt, quasi verò incommodum valde Reipublicæ sit ista vulgari. Ii sanè proborum virorum partes agunt, remque tangunt in hac omni disputatione difficillimam. Pupugit olim eadem suspicio Chrisostomum, vt ob ipsam hanc caussam lentiùs se ad defensionem contra vituperatores vitæ Monasticæ scribendam prosilisse narret, ne Christianorum mala vulgaret. Verebatur enim, ne Gentiles pessimè de Christiano nomine sentirent, ac loquerentur, si non deesse inter illos, qui Monachos vituperarent, scriptis ipse proderet suis: sed scrupulum omnem exemit, atque intempestiuum timorem irrisit collocutor; sic enim habet Chrisostomus. At ille ridens, ludis planè, inquit, ista dicens. Ego enim opportunè te istâ curâ leuabo; quid enim vereris, ne ex verbis tuis id addiscant, quod dudum ex operibus ipsis vniuersi didicerunt? *Hactenus ille, cui se facilem præbuit exinde Chrisostomus. Fateor ego, si quæ animorum offensiones religiosos inter homines suboriantur, quod aliquando fieri prope necessarium est, dum homines sumus, atque, vt cum Augustino loquar,* lutea vasa portamus, quæ faciunt inuicem angustias, *longè laudatissimum fore, si foris non vulgarentur; Verùm cum iam non crebris modò sermonibus, sed editis libellis orbi, non sine calumnijs obtrudantur, huiusmodi licentiam castigandam, ac retundendam esse contendo. Illud enim Gregorianum tenendum*

XL. *Quam contempsère Chrisostomus, & Lib. 1.*

nendum est, quod & Bernardo placuisse video : Melius est vt scandalum oriatur, quàm vt veritas relinquatur. *Hoc Magni Pontificis oraculo satis tutum se credidit Bernardus, cum in Cluniacensium corruptos mores acerrimè inuectus est oratione, quam & Apologiam dicere non dubitauit. Cum enim Cluniacenses Monachi totâ olim Galliâ religiosæ disciplinæ principes habiti, paulatimque ad delicias & luxum delapsi antiquæ sanctimoniæ famam vellent retinere, quæ iam tota in Cistertiensium seuerissimis viuentium legibus castra se contulerat, his obloqui cœperunt, quasi ipsi obloquerentur, & Cluniacense nomen minùs reuerenter haberent. Hæc Bernardo fuit caussa scribendi, qui quamuis Melliflui cognomentum fuerit consecutus (nam ex illius ore melle dulcior fluebat oratio) nihilominùs tam acriter suorum caussam agit, tam liberè in Cluniacensium collapsam disciplinam inuehitur, vt vim eius dicendi, si modò scriberet, teneros istos vbi illorum caussa non agitur, modestiæ alumnos minimè laturos non dubitem.*

XLI. *Et Bernardus.* In Apologia ad Gugliel. Abbatem.

Illud hic ego non dissimulauerim, rem esse longè difficillimam, nihil vmquam contentionis viros inter etiam religiosos exoriri, quamuis ad ipsius Dei gloriam omnia se referre putent: fallimur enim iudicio plerumque, aut etiam paululum transuersi abripimur. Eadem mihi voluntatum hominum ac linearum, quæ à circulo ad centrum cadunt, ratio esse videtur; Etenim quamuis verissimum illud sit; si exactissimè ad regulam ducantur ad medium illud nulla vicinarum offensione lineas omnes peruenire, atque in eo veluti quiescere; nihilo tamen minùs, siue Regulæ vitio, siue trementis vibrantisque dexteræ imbecillitate, crispisulcæ cum euadant, incurrere in se inuicem, & collidi eas est necesse, sed non ideo multum aberrant, & lentiùs quidem, sed tamen feruntur ad centrum. Vna, quæ huiusmodi sit, vicinas atque à lateribus incedentes intersecat, de quibus profectò nemo conqueritur, si illius aberrationi non cedunt.

XLII. *Cur etiam inter bonos discordia suboriantur.*

XLIII. *Vt igitur finem præfandi faciam, illud mihi magni & acutissimi Iurisconsultorum antistitis Baldi verissimum dictum*
Defensionis ius. *vehementer admodum probatur, licere nimirum defensionis caussa ad æmulationem fabricare: NON ENIM AGIT*
Conf. 188. *PERPERAM, QVI FACIT AD DEFENSIONEM.*



INDEX INEPTIARVM quæ in prima huius OPERIS PARTE, CONTINENTVR.

AVCTORIS AD CONSTANTINVM CAIETANVM, & ad Lectorem Candidum, Prolusio.



SECVNDÆ PARTIS Malignitates.

INDEX EORVM quæ his accesserunt.

EPISTOLÆ.

SENTENTIÆ.

TESTIMONIA.

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm Opusculum P. Ioannis Rhò nostræ Societatis Sacerdotis, inscriptum *Achates contra Pseudo-Constantini Caetani libellum, de religiosa S. Ignatij, seu Enneconis vita &c.* tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur si ita ijs, ad quos pertinet videbitur. Datum Romæ 21. Martij. 1643.

MVTIVS VITELLESCVS.

Imprimatur sec. &c.

Petrus Ioannes Abbas Lantes V. G. Pisarum.

VT supra scriptum Opusculum Ad R. P. Ioannis Rhò Societatis Iesu Concionatoris P. huius Ecclesiæ Pisarum à nobis reuisum Imprimatur, licentiam concedimus. In fidem &c. Dat. Pisis in ædibus S. Officij, Die 3. Aprilis. 1643.

F. BERNARDINVS MANZONIVS CAESENAS
Inquisitor Generalis Dominij Pisani.

PARS



PARS PRIMA.

DE INEPTIIS LIBELLI PSEVDO-CONSTANTINIANI.



NE quis ineptiarum nomen plerisque, quibus infelices chartas malè perdidit Pseudo-Constantinus, per calumniam à me impingi, tui nominis præiudicio præoccupatus, arbitretur, Constantine; duo sunt, quæ Lectorem in ipso disputationis limine à te doceri, oppidò velim. Primum hoc est, me nihil huius dicti apertum his velle, quæ in Benedictini nominis decus, atque amplitudinem dicuntur; quamuis enim luculentiùs multò ea dici debuerint, & ab homine sanioris mentis in medium si essent allata, multò gratiora futura fuisse non ignorem; nihilominus vt aurum primæ notæ, rude licèt, atque infectum, ego quidem suspicio; atque ob hanc ipsam causam plumbum iners, & quisquilias vanitatis, atque ineptiarum ab illis separanda esse contendo. Alterum illud est, me quum hominē hunc ineptū dico, cum ipso Romanæ eloquentiæ patre Latinè loqui, *Quem enim nos* (ait Tullius) *ineptum vocamus, is mihi videtur ob hoc nomen habere ductum, quòd non sit aptus, idque in sermonis nostri consuetudine præclarè patet; Nam qui aut tempus quid postulet,* non

I. *Benedictinorum nomen ab hac causâ remouetur.*

II. *Ineptia vox quàm latè pertinet ex Tullij definitione.*

videt, aut plura loquitur, aut se ostentat; aut eorum, quibuscum est, aut dignitatis, aut commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur? Quorum quum plurima, imo omnia in hominem istum cadant, nullo alio nomine, si Latinè loqui vellem, congruentiùs potui appellare.

III. *Pseudo-Constantini lib. conuenit.* Et sanè qui post centum prope annos rerum gestarum fidem tot monumentis validam, atque confirmatam in dubium vocare non dubitauerit, idque vanissimis coniecturis facere conatus sit: qui de Benedictinorum antiquâ in tradendis disciplinis celebritate, déque illorum in Euangelij prædicatione acerrimo studio (quod nemo eruditorum non laudat, ac suspicit) tam multa extra caussam scripserit; qui sibi præclarum Benedictini vindicis nomen per inanem ostentationem vsurpauerit, quum illo vindice illustrissima, & clarissima Benedicti soboles non egeat, quę viris ab eruditione, atque sapientiâ præclaris, eam, si res ferat, demandare possit prouinciam; qui Ignatij Societatísque IESV vniuersæ, atque grauissimorum Historicorum, dignitatem, commoda, fidem, somniorum suorum tuendorum caussâ sus déque habuerit; qui nec Latinè satis, & inconcinnè admodum nugas in libellum confarserit, ego sanè si ineptum vocauero, conuitium me illi fecisse non puto.

IV. *Multóque magis ex Donati mente.* Quod si longè breuior huius nominis placeat notio, quâ ineptum eum dici Donatus docet, qui à quouis reprehendi potest: ea est scribentis vanitas, ea inconcinnitas, vt neminem qui bonas horas malè perdere legendo velit, futurum mihi exploratissimum sit, qui opinationum leuitatem, & plusquàm anilium fabularum imprudentiam ne dicam, an impudentiam? & rationum futilitatem, & maledicendi, obtrectandíque libidinem oppidò impotentem, iure quàm optimo non reprehendat. Quod quàm verè præfari non dubitauerim vt intelligatur, age ordiamur, Constantine.

INEPTIA

INEPTIA PRIMA.

De Ignatij nomine.



MEMINISTI opinor, Constantine, nullum hominum genus magis his, qui sapienter philosophari volunt, odiosum, nullum ridiculum magis esse illis, qui interioris sapientiæ parùm intelligentes, vt aliquid in Republicâ literariâ satagere videantur, de rerum nominibus lites serunt, atque vt est in prouerbio, procellas in simpulo excitant, quibus vna illorum fama, quippe quæ nullo solidioris iudicij clauo moderante instabilis, mergi queat. Quam igitur prudentiæ tuæ plagam intulit Pseudo-Constantinus iste, quum te de Ignatij nomine odiosissimum disputatorem inducit? I. *Odiosa, & inepta est quæstio de nominibus.*

Cuius enim prudentiæ sit, viri sanctissimi nomen post exactum seculum, tot publicis monumentis consignatum, atque totius orbis terrarum consensu exceptum, ipsáque religionum augustissimarum sanctitate venerandum, falsitatis arcessere, atque in Enneconem recudere? Sed quid ego exteriora ista commemoro? Quod sanctissimi viri chirographum, quæ epistola (& plures adhuc supersunt, quas & Deus magnis miris illustrauit, & demones horrent) sancti Patris manuscripta vnquam visa est, quæ Enneconis, & non Ignatij nomine, aut saltem Inigi consignata non sit? Túne, Constantine, adeo imprudenter ageres, vt quæ hominum, atque ipsius Dei calculo sunt comprobata, leuissimis, atque euanidis de caussis, meráque lubentiâ in dubium reuocares? Non credam. II. *Imprudentia de Ignatij nomine disputantis, ac nullâ caussâ in Enneconem refingentis.*

Quæ enim homini tandem Ignatij in Enneconem transformandi caussa fuit? Qua leuiorem, ac vaniorem ne ipsa quidem vanitas potuit excogitare. Nam si ex eo aliquam Benedictini nominis gloriæ accessionem fieri posse credidit, iudicij sui imbecillitatem planè prodidit. Audio equidem ab hoc homine, Abbatem olim sanctissimum in Guipuscoâ fuisse, qui Enneco diceretur, plurimósque in eo tractu, venerationis ergo, Ennecones appellari. Quod si III. *Quia olim Abbas fuit, cui nomen Enneconi.*

 verum

verum est (neque enim libuit inquirere , quamuis mendacij, vt videbimus Pseudo-Constantini vanitas , iure mihi suspecta sit) Ignatium vnum è multitudine illa fuisse, quid tandem habet amplitudinis, quum plerosque improbos homines nomine illo vti, res ipsa loquatur. Hoccine demum est, quo Benedictinum vindicem gloriari oporteat? Quis aquilam muscas venantem æstimet? sed quàm infeliciter hoc ipsum agat intueamur; nam non modò imprudentem, verùm & Logices omnino ignarum , & totius elegantioris literaturæ penitus expertem, ideóque longè tui dissimilem hominem istum inueniemus, Constantine. Ignatio nostro Enneconi olim nomen fuisse probaturus, quid tandem in medium afferat audi. Ego enim aliquas antiquas tabulas, aut scriptoris alicuius illorum temporum æqualis testimonium aliquod luculentum, pro mea ruditate, necessariò ab illo afferendum putabam.

IV.

Ex quo non sequitur sanctum Patrem eodem nomine fuisse.

Lib. cap. 1.

Sed homo acutus argumentatione longè validiori rem totam conficit. Sic enim loquitur: *Non enim vocauerunt eum parentes Ignatium, sed Enneconem*, cuius dicti rationem luculentissimam attulerat in hæc verba. *Igitur cùm tanta vicini populi deuotio erga hunc Sanctum* Enneconem *fuerit*, *& solemne existat, vt quos Sanctos præcipuè colunt parentes , Patronos eos suis asciscant filiis , illisque eorum nomina imponant. Propter hæc, inquam, facile est suspicari, pios Ignatij parentes, ex pio erga hunc sanctum Enneconem, & patronum suum affectu, ad recolendam sanctissimam memoriam illius, eiúsque tutelam filio procurandam cognominem illi suum natum fecisse.* Quod ne leuioris alicuius suspicionis loco habeamus, paulò post *Certò certiùs se probasse* ingenti ore gloriatur. Confecta res est: probabile est; igitur factum est. Quis contra mutire ausit? At Ignatij parentes Enneconem peculiari pietate coluisse, saltem probandum erat, ne insanire videretur. Hoccine disputare est ,an fortiri quid dicat? Rursum quum Ignatij parentes numerosâ prole stirpem propagauerint, si tanta in Enneconem illorum pietas fuit , vt filium illi cognominem habere voluerint, cur natu minimo Ignatio id demum nominis imposuerunt.

Sed audio Ribadeneiram testem adduci & locum ex vita

Ignatij

Ignatij anxiè in libri ora adnotari, Editionis Madritensis *lib. 1. cap. 1.* Laudo diligentiam, sed Hispanicæ linguæ, ex quâ argumentum se ducere arbitratur, atque adeo humanioris litteraturæ peritiam requiro. *Inigo de Loyola fundador, y Padre del la Compania de Iesus*; & paulò post. *Inigo a quien llamaremos de aqui adelante Ignatio; por serese nombre mas comun a las otras nationes, y el mas conecido, y vsado*; Ex quibus quomodo suum Enneconem conflet homo ineptissimus suspicari non possum, Constantine eruditissime. Quanta igitur vanitas nullo teste de rebus antiquis scribere? quæque omnium consensu recepta sunt, nulla ratione conari conuellere? noua, & inaudita, & absurda ita in medium afferre, vt quia confieri potuerunt, facta esse credamus? Sanè si alicubi Enneccum Loplam legisset (nam Ennæco Eximenco nomen Nauarræ Reg. cognomento Arista olim fuisse non ignoro) hominis eruditi fuerat lapsam vulgi rudioris consuetudinem reuocare, quod ab eruditissimo & clarissimo viro Laurentio Ramirez Prado factum lego, cùm regis illius nomen Iñigum Ximenium interpretatur in notis ad chronicum Luitprandi. V. *Quod ex Inigo inclinatum videtur.*

Quid enim tam in omni linguâ vulgatum est, quàm nomina propria paulatim ita inclinari, vt aliam, atque aliam formam vulgi licentiâ induant, quâ tamen meliorum iudicio, atque vsu exui, ad pristinámque possunt reuocari? Objice tu illi, Constantine, locum Virgilij Eneïdos V. vbi & ex Mnestheo Memmii, ex Cloantho Cluenti nomen factum esse docet. VI. *Multæ enim inclinationes nominum sunt tum à Græcis in Latina;*

Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi.
Et ——————————————*Scyllâque Cloantus.*
Cærulea, genus vnde tibi, Romane Cluenti.

Doce, nisi operam stipiti erudiendo perdere piget in clarissimo Ludouici nomine id apertissimè videri: Chlouis enim in Chlodouæum abiit, progressúmque longius Hlodouicus factum est; mox leniori pronuntiatione Ludouicus placuit: sed Gallis Loys, Italis Luigi, & more gentis vt lenior aut concinnior esset sonus, Aluigi, quod etiam togam induit, vt iam Aloysium dicamus; verùm Hispani nudum maluerunt Luysium. Quære iam ab hoc imperitissimo homine, an si quis Gallorum Regis vitam scribens, cum Ludouicum appellet, reprehensurus ipse sit, quòd VII. *Tum in aliis linguis.*

A 2 ver

vernaculo sermone, Loys dicatur? Quære an aliquid intre Iahacob, & Iacobum, quo Hebræi, ac Latini; & Iogo, Diego, Didaco, Iayme, quibus Hispani; & Iacques quo Galli; & Iacomo, aut Iacopo, quo Itali vtuntur, putet interesse? Roga hominem Italum: sed quid ego Italum dixi? Hæret ille quidem dudum barbarus calumniator Italiæ in angulo, non sine prouinciæ peste, quæ huiusmodi monstrum edidisse nolit; sed interroga tamen, nam satis Italicè nouit, an sciat, Meo, Becco, Cecco, Titta, Cola, Böus pro Ambrosio, Nicolao, Baptista, Francisco, Dominico, Bartholomeo, variis in hac nostrâ Italiâ dialectis vsurpari? An ideo Meonem, Becconem, Cecconem, Tittanum, Colanem, Bousonem, nisi de ridiculo quisquam sanus Latinè dicet?

VIII. *Et patet in ipso nomine Benedicti.*


Age, si Lusitanus aliquis, cui Benedicto sit nomen è familia magni Patriarchæ, ad eam virtutum omnium celebritatem grassetur, vt eius gesta posteris sint commendanda, idque Latinis litteris faciendum tibi sit, Constantine, quo eum tandem nomine appellabis? Rogas? Benedictum, inquies; rectè tu quidem, & pro tua eruditione, atque sapientia: verùm scribentem obturbabit Pseudo-Constantinus, & Bentonem scribere iubebit. Ineptè, inquis, faciet; nec ego, quamuis Aristarchum agat, vanissimis eius edictis pariturus sum; cur enim iubeat? quæris? de Lusitano tibi homine scribendum est, porro Lusitanis, qui Latinis Benedictus dicitur, Bento appellatur, quæ vox in Bentonis, & Bentonem ex formulâ inclinanda est. Iam tu homini vanissimo indignaris, qui augustum magni Patriarchæ nomen ridendâ metamorphosi corrumpere audacissimè pergat, quasi verò ignores aliam longè vulgi esse licentiam; aliam rectè, atque ratione scribentium religionem. Quare quod tuo in Benedicto facturus esses, Constantine, vt meo facias in Ignatio etiam, atque etiam te rogo: nam quæ consuetudo Lusitanis Bentonem peperit, eadem Cantabris ex Inigo Enego effinxit, ex quo homo iste, vanissimus nominum faber, Enneconem extendit nullâ quidem ratione, sed merâ suâ libentiâ, imo inuidentiâ, atque malitiâ.

IX. *A voce infantis in fe-*

Maligno etenim bipedi carpendi Nierembergensis, quòd miraculo editâ ab Ignatio infãte voce Ignatij nomen optatum fuisse scribat, captãda occasio fuit; sed quàm liuido ingenio

genio factum hoc sit, in loco dicebo, nunc ineptias accuso. *liciter argumentatur Pseudo-Constantinus.* Quid enim! Ignatium se appellare non potuit, qui Inigus dicebatur, quasi verò si Inigum se dici velle, infans loquutus est, non summâ fide scripserit Nierembergensis, Ignatium dici voluisse. Quidni enim Francisci nomen optasse dicam, qui Ceccus dici voluit. Adde nec sibi satis constare nugatorem istum, quippe qui Cap. 1. Enneconi Ignatio nomen fuisse *certo certius se probasse* scribit; mox initio secundi ne omnino desipuisse crederetur, superioris capitis disputationi suæ non omnem abesse docet probabilitatem; his enim verbis illud orditur. *Non igitur caret probabilitate* (vanitate dicendum fuit) *S. Ignatium in natiuitate suâ à Sto. Ennecone nomen hausisse, illúmque agnouisse tutorem, patronum sensisse.* Vbi? quomodo? quibus in negotijs? caussis? periculis? Silent omnia litterarum monumenta, & iste probabilier scribit? Vides igitur, Constantine, quibus ineptijs nomen tuum resperserit Pseudo-Constantinus iste, qui Ignatio de nomine diem dixit; sed frustra contra sydera baubat, ac ringitur. Nomina enim Sanctorum *scripta sunt in cælis*, quę nullus hominum deleat liuor.

X. *Et vanissimè proinde scribit.*



INEPTIA SECVNDA.

De Ignatij Patria.



LOCVM hunc de Ignatij Patriâ miris ineptijs implicat amicus tuus, Constantine, atque Ribadeneiram, Maffeium, Orlandinum, summæ fidei Historicos, peruersis illorum verbis, vanissimè interpretatur atque accusat; tum ex fide Stephani Garibai Histor. tom. III. libro XXX. capit. V. Loyolam oppidum vsquam gentium esse negat, cui vt Cantabro, & *Guipuscoa* (sic loquetur, quasi Guipuscoa vrbs, aut oppipum esset) orto fidem haberi æquissimum censet. Vtrũque videamus, sic enim scribit. *Non igitur Dominum, aut Toparcham cum Ioanne Petro Mapheo, Petro Ribadeneira, Nicolao Orlandino*

I. *Mala fide Ribadeneiram, Maffeium, & Orlandinum citat Pseudo-Constantinus* Pag. 33. 34.

landino, & Bidermanno Loiolæ, & Ogniei oppidorum, sed Loiolæ, & Ognei familiarum caput, vt habet historiæ veritas appellamus. Salue historiarum restitutor, ac vindex veritatis acerrime, qui extra illius lineas palantes historicos nostros censorio reuocas iure. Sed quem hominem rogo te, Constantine, hoc tuo Pseudo-Constantino ineptiorem vidisti, qui nec Latinè, neque Hispanicè satis nouit?

II. *Vt constat ex ipsissimis Ribadeneïræ verbis,* Quid enim aliud habet Ribadeneïra, quàm Bertramum Ignatij parentem fuisse, vt Hispanica eiusdem verba appendam, Edit. Mad. lib. 1. cap. 1. §. 1. *Señor de la Casa y solar de Loiola y del solar de Oñaz, que estan ambos en el termino de la villa de Azperia* (hanc apud Ortelium Vrozputiam appellant aliqui.) Nemóne igitur Cantaber erat in vrbe, à quo quæ verbis illis subesset notio *Sñor de la Casa, y solar*, discere posset Pseudo-Constantinus? Didicisset aliquid plus significare *Casa y solar*, quàm familiam, stirpésque antiquissimas eas censeri, quæ villas eiusmodi appellatione possideant; nec cuiquam, qui villarum Dominus non sit, eam conuenire posse. Itaque vt Germani loqui amant, quum Barones in Gauenck Exem. caussa, dicunt, veterem gentis nobilitatem ab exiguis sæpe villulis indicantes; haud aliter Cantabri, apud quos maximè antiqua, nullisque Maurorum fecibus polluta censetur nobilitas, familiarum principes villularum denominatione nobilitare consueuerunt.

III. *Et duorum reliquorum.* Lib. 1. vitæ cap. 7. lib. 1. hist. cap. 8. Itaque tùm Maffeius, tùm Orlandinus Bertramum Loiolæ, & Ognis Dominum nominantes, oppidi appellatione cautissimè abstinent, neque Toparcham dicunt, quod vtrumque vt malitiosè ineptiret, de suo addidit Pseudo-Constantinus.

IV. *Quid sit Loyola.* Cæterùm, & Loyolam aliquid esse in Guipuzcoâ, & non in Vtopiâ vel ab ipso potuit Ribadeneïrâ intelligere, qui quàm humanè à Gallis habitus fuerit Ignatius enarrans, illum è castris Gallorum fuisse domum suam delatum ait: *Fue lleuado à su casa en ombros de hombres en vna litera,* quod Maffeius ita reddidit: *Ignatium lecticâ Loiolam vsq; (neque enim longè aberat) deportandum curarunt*, neque oppidi meminit. Rursum Ribadeneïra in vita Francisci

Borgiæ

Borgiæ libro 11. cap. 1. sic loquitur *Se fue à Loyola, por su deuotion, y en vna deuota capilla, que los Señores de aquella casa tienen adereçada, dixo su primera Missa*, quæ latinè reddimus: *Loyolam venit, pietatis ergo, atque pio in sacello, quod illius domus Domini exornatum habent, primam Missam celebrauit.* Vbi hîc oppidi, aut Toparchiæ nomen, quod Ribadeneiræ veritatis candidissimo affingit Pseudo-Constantinus? Et Maffeius Aspeithiæ habitasse Bertramum Ignatij parentem disertè docet libro 11. vitæ cap. 1. his verbis. *Deinde etiam, quæ iam tum erat fama de sanctitate viri, clericos omnes agmine composito ad oppidum Aspeithiam honoris caussa obuios habuit, cúmque ab ijs, & ab ingenti præterea gratulantium turbâ deduceretur ad ædes paternas, &c.* nec dissentit Orlandinus, qui Aspeithiæ posthabitis fraternis ædibus ad pauperum hospitium diuertisse tradit. Lib. 1. Hist. num. 119.

V. *Quid Ognate.*

De Ognate verò villâ cur potius Garibao, si oppidum esse negat, quàm Ribadeneiræ affirmanti credam mihi nulla caussa est; imò huic fidem abrogare gesta in eo, siue oppido, siue pago à Francisco Borgia narranti, imprudentis hominis esset; audiatur loco iam laudato. *Para ello rogò à la villa de Oñate, que le diesse vna ermita.* Rogauit? quos? illius pagi, siue oppidi accolas, & conciliabulum. Sed nihil in Pseudo-Constantino illustrius, quàm quum de Monasterio Benedictino in villa *Omnia* hariolatur. Quid enim ad rem facit *Omniense* (sic loquitur) Monasterium in villâ *Omnia* olim fuisse, aut etiam nunc esse, éamque villam Hispanicè dici *Ona* paululum inclinato vocabulo? Vt igitur à villâ familia Ognez dicitur, sic verisimile est ab aliqua item villâ Loyolam gentem cognomen accepisse.

VI. *Error crassissimus P-C. in topographiâ.*

Hactenus, Constanstine erudissime, cum homine isto delirauimus; quidni enim fateamur ingenuè, quum illius vestigiis insistentes de Loyola, & Monasterio *Ognaz*, siue vt ipse vocat *Omnia* disputauerimus, quasi eodem in tractu Cantabriæ sint? Ridebunt nos, opinor, qui regionum illarum periti, quantò terrarum, ac montium spatio disterminentur, quàm nullo commercio commeantium accolarum iungantur, probè norunt. Vísne, vt huic ineptiæ

securim tandem iniiciam, peritum aliquem locorum illorum, quique prouincias illas obierit, de his loquentem audiamus? Non recusas opinor; etsi Pseudo-Constantino minus adlubescet, iubebis illum vel in gratiis patientes aures præbere.

VII. *Ex testimonio Michaelis de Arbieu.* Michael ergo de Arbieu vir grauissimus, socius olim Prouincialis Societatis in veteri Castellâ, in cuius Prouinciæ finibus Cantabri, Asturésque nobis sunt, cùm Prouinciam obiens regiones eas non semel oculis lustrauerit suis, sic in suo ad me Chirographo rem totam explicat.

Oñes domus ex illis quas Hispani Solar *dicunt antiquissima est in Guipuzcoâ, tribus circiter millibus passuum à domo Loyola distans; Porro Domini Loyolei domum vtramque possident.*

Ognate oppidum est, duodecimo circiter à Loyola lapide; ab eius Dynastâ Comes dicitur Ognatensis, qui tum apud Cæsarem, tum ad Pontificem ante hosce paucos annos Regis legatus fuit.

Ognaz (Pseudo-Constantinus Omnia diceret, ne nihil dicere videretur) *Monasterium Monachorum Benedictinorum est leucis à Burgis XII. multisque non modò à Loyolæ domo, verùm à Guipuscoâ totâ; interiacent enim Cantabriæ montes, quos incolæ hodie dicunt* Serras de Burgos. *Itaque prope nullum commercium est Guipuzcoam inter, & Monasterium Oñaz.*

Loyolæa gens à Loyolâ, & ab Oñaretia dicitur, quum vtriusque domina sit, & quidem à peritis audire me memini Oñes domum longè antiquiorem, atque adeò Loyolâ illustriorem esse.

Porro ipsa Loyola oppidum quidem non est, sed domus seu villa, opere antiquo in modum validæ turris. Gens ipsa longè nobilissima De Parientes maijores, *vt incolæ loquuntur, eiúsque caput quum Regibus dicendum est Sacramentum; in eorúmque verba iurandum, aliisue casibus in quibus Magnates moneri aut euocari solent, à regibus admonetur per litteras, quo priuilegio Loyolæa gens, & altera in Guipuzcoâ tantum*

tantummodo decorantur. Sunt insuper Loyolæi Patroni Ecclesiæ Aspeithiæ oppidi, quod a Loyolá septem circiter stadiis distat, estque frequentissimum atque Guipuzcoani tractus nobilissimum. Nota res est, ipso oppido antiquiores esse Loyoleos, quorum gentilitias tesseras in ipsis portis sculptas videmus, ignotá tamen caussa. Hæc Michaël de Arbieu Cantaber ipse, quique regiones illas sæpiùs lustrauit suo ad me, vt prædixi, Chirographo testatus est. An non rectè monui, Constantine, nos cum Pseudo-Constantino delirasse, dum de Monasterio *Ognaz* disputauimus?

VIII. *Enneconis nomen Guipuscoanis insolitum.*

Quid enim? Abbatis Enneconis clarum ibi nomen, & circumcolentibus populis venerabile. Non id ego negauerim, de quo nec mihi quidem quærendum diligentiùs censeo. Sit enim, vt dicitur; atque in eo tractu non plures sint homines, quàm Ennecones, si Deo placet, nihil moror, quid hæc ad Guipuscoanos, quibus vt potè magnis, horridisque montibus interiacentibus, vix *Ognaz* nomen auditum, & paucis forte notum est Monasterium? Quid quod eodem Arbieu teste, non magis Enneconem in Guipuscoâ, quàm Motezuman inuenies?

IX. *Ex quibus constat Constantinum Caietanum anxiæ eruditionis virum tantæ oscitationis auctorem non esse.*

Quam tè, Constantine, Topographiæ ignarum induit hic homo, qui tuam induit personam, vt Ignatio nomen eripiat suum? Túne tam oscitanter scriberes de tui Ordinis clarissimo Monasterio, vt illud in Guipuscoâ collocares? Tunc Abbatem in eâ Cantabriæ regione planè ignotum, vt accolis sanctitatis nomine venerabilem, cuiúsque nomine filiis patrocinium quærant, eúmque veluti tutelare numen habeant, induceres? Túne montes illos maximos, asperrimósque, qui immani catenatáque rupium serie, *Ognaz* à *Loyolá* tot leucis distermінant, tam leui saltu in istâ ætatis tuæ prudentiâ transilires? Hoc, quicumque de tua eruditione honestissimè sentiunt, quos plurimos à te anxiè admodum *ex Allatiana Vrbanarum Apum recensione* addita Tomo IV. B. Petri Damiani, enumerari video, profectò mecum non sentient. Dormiturientem hominem illum fuisse oportet; qui regiones, de quibus disputat, tam imperitè confuderit, quod quum à tuis vigiliis longissimè abesse debeat; quin ego tuâ causâ Pseudo-Constantino irascendum mihi ducam, nemo vnus amicorum negabit.

X. *Loyolæ celebritas maxima,* Admonet me locus, vt quoniam de Loyolâ disputauimus, quanto illa iam sit in honore, quantâ accolarum, & peregrinorum celebritate iam colatur, quantis Romanorum Pontificum aucta sit priuilegiis, ex litteris anno superiore CIↃIↃCXLII. à Didaco Gamboâ Societatis IESV ad Mutium Vitellescum Præpositum Generalem datis aperiamus. Gratum erit, opinor, non hominibus modò nostris, sed omnibus, qui à sanctorum amore nullâ inuidentia deterrentur, quàm verum sit Oraculum antiquum

XI. *Et debita Ignatianis cunabula.* NIMIS HONORATI SVNT AMICI TVI DEVS, etiam in nostro Ignatio intelligere. Et sanè si cubicula, in quibus editi olim in lucem fuerunt filij tenebrarum; nihilominus imperij aut humanæ magnitudinis reputatione ostensa fuisse in historiis legimus; cunabula eorum, qui non modò filij exinde lucis, sed & magistri, & antesignani, atque vt cum Græcis loquar, phosphori fuêre, in tenebris obliuionis inhonorata relinquet Deus? Non hoc illius est, cui à veridico Vate canitur: NIMIS HONORATI SVNT AMICI TVI DEVS. Et quamuis vocis illius NIMIS vis ex hæbraicis regulis non me lateat; arbitror tamen secundùm mentem insipientium, ac stultorum, quos numero comprehendi non posse olim dixerit Sapiens, loquutum esse Dauidem. Quàm multi enim erunt, quibus tantùm Ignatianis cunabulis honoris haberi nimium quàm NIMIS videatur? At ego illis occinens Amicum Dei fuisse, vt aliis faciam satis, quæ Didacus superiori æstate scripsit; quæque de more Romano nostro in tabulario seruantur, hic Latinè describam.

Suetonius in Augusto, & aliis.

XII. *Ex Epistolâ Didaci Gamboæ.* *Quæ quotannis ad sacras ædes in quibus Sanctus Pater noster Ignatius ortus est, & diuinis, magnisque Dei donis, ac visis auctus ad Dei seruitutem se conuertit; suscipitur à nostris hominibus missio, ea quotidianis successibus, effectisque admirandis reliquas inter, quas in varias orbis oras sancta suscipit Societas IESV, cuius in hac domo fundamenta veluti locata sunt, meritò debet accenseri.*

Vt celeberrimum populorum concursum vndique ad hanc domum venerandam aduolantium omittam, quamuis suprà XV. capitum millia censa sint, alia plurima sunt, quæ solemnitatem hanc illustrissimam reddunt. Publicè igitur edici-

tur

tur totâ in Prouinciâ natalem Sancti Patris Nostri diem festum omnibus esse, nam is Prouinciæ Patronus est; atque ad eius domum adeuntibus Indulgentiam longè amplissimam ex Ecclesiastica formula per octo consequentes dies Deum ibi religiosè venerantibus esse propositam. Plerique peruigilium ieiuni transigunt in Prouincia, & Aspeythia oppidum, felix eius patria, pro id iam vsu ac libera factitat deuotione. Ciuitas hæc quæ Sancti ciuis sui Beatificationem, & Canonizationem celeberrimo cultu olim prosecuta est, hoc præcipue anno pietati erga Patronum indulsit suum. Coactis enim e distanbus oppidis symphoniacorum nobilissimis, post vespertinas laudes Deo in templo magnificè decantatas, capitulum ad concinendum in Loyolano sanctuario Completorium processit: cùm tam templum maius, quàm Loyolæ sacellum pretiosis peripetasmatis, & altaria multo auro collucerent. Vbi aduesperascit festo campanarum pulsus, ignibúsque ad fenestras, pérque plateas succensis, laudes viri sancti vndique personant. Hoc anno magnis omnia aucta sunt incrementis; itaque summo mane ob multitudinem confluentium vix liber per vias erat ingressus: Festo iterum campani æris sonitu, & musicis organis vndique concinentibus, instructo agmine frequentissimo accolarum pariter, ac peregrinorum, ac primæ quidem nobilitatis, qui ad celebritatem accurrerant, Loyolam itum est. Is fuit procedentis religiosi agminis splendor, ea species, vt Regiæ aulæ assueti nihil illius magnitudinis huic deesse affirmarent. Tum ex veteri more gentis armata saltatio instituitur rudibus, & gladiis batuentium. Septuaginta hoc anno eo in ludo pugnarunt, qui rubeis teniis, albísque calceis insigne nudos inter fulgentésque gladios admirabili corporum agilitate, armorúmque tractandorum dexteritate agmina implicantes, explicantésque admirationi fuêre. Viæ totæ lætis ac festis conuiuiis frequentatæ sunt; nam quinque vicinis è Prouinciis publicum ad mercatum, quod Ignatij honori institutum est, innumerabilis accurrisset multitudo mor-

talium. Sequenti die Clerus pariter ac Magistratus instructo agmine comitantibus de more festis choreis, & musicorum cantu Loyolam venêre: ibi, quoniam superius sacellum frequentiam non capit, Sacrum ad ianuam domus factum est, parato ad hoc instructóque altari magnifica sub vmbella: super illud Sancti simulacrum sacrificantis habitu, quod circumlatum est, reponunt: id IESV nomen sinistra sustinet, indice dexteræ in illud intento, quasi eo in nomine glorietur. Hoc triumpho antiquam suam ad domum ab infinita multitudine deductũ excipiũt Socij, & sacro assistunt: habita ad frequẽtissimam coronã breuis concio à Didaco Gamboâ. Absoluto sacro cuncti per vices ad Sacellum subiêre, vtque venerantium pietati est factum satis, rursum instructum agmen Aspeythiam rediit. Relictum est in Loyolano sacello Ignatij cingulum affabrè ad exprimendum IESV nomen implicatum, quod exinde Aspeythiam post octo hosce festos dies refertur, ibique donec Loyola Collegium habeat, asseruatur. Addita à prandio, vt moris est, taurorum venatio, exceptique epulo à magistratu viri nobiles: eadem ludorum celebritas consequentes dies habuit. Dominica die maximis imbribus aucti riui, deiectique pontes, & Loyolanus reliquos inter solitudinem fecerunt. Sed Transfigurationi sacra die, & octaua Ignatiani festi ingens hominum vis per inuia montium capto circuitu adfuit celeberrimo concursu. Neque exterior hæc pietatis significatio interiori ac solidiori fructu caruit. Confessiones totius anteactæ vitæ auditæ plurimæ, quamquam totius anni hæc messis est, cùm plerique eorum qui sanctuarium Loyolanum siue animi componendi, siue opis poscendæ caussa frequentes adeunt, solemni hoc more animorum noxas omnes hîc deponant atque exuient. Nec tardus in vota Deus est; itaque nostros, qui Aspeythiæ agunt, plerique rogant, vt Loyolano in Sacello salutarem hostiam velint offerre in gratiarum actionẽ, quòd votorum rei sint. Non defuit hoc anno, vt & superioribus scripsimus, ad sacrarium serui sui adeuntibus Deus; sensêre enim opem, reliquos inter, duo, quorum alter mali Dæmonis

instin

instinctu ad desperata consilia propemodum adactus, cùm se religione voti ad inuisendum piè sacellum audiendúmque sacrum obligasset, illicò saniorem sibi mentem tranquillitatemque conscientiæ redditam sensit, venitque hoc anno Loyo am. Alter scrupulis miserum in modum conflictatus hîc etiam pacem inuenit. Alia curationum mira omittuntur. Omnia sint ad Dei gloriam.

Hæc ex relatione superioris anni XLII. hîc transtulisse non me pœnitet, vt Loyolani sanctuarij, quod non omnes norunt, fama his litteris vulgetur. Nunc ad caussam redeo.



INEPTIA TERTIA.

De Ignatio Magistris Benedictinis Monachis, atque in illorum Asceterys proficiente, ac prima vota nuncupante, & Professionem emittente.



Ast nunc planissimè ineptit Pseudo-Constantinus; cùm ea, quæ ab historicis Societatis accepit, tanquam ex Delphicis adytis eruta, & nobis, aut ignorata, aut dissimulata contentiosissimè obiicit? Ignatius in Monteserratensi Ordinis Benedictini celeberrimo asceterio melioris militiæ tirocinium posuit: Clanonio eiusdem Ordinis Monacho sanctissimo magistro vsus est: In æde Montis Martyrum prope Lutetiam Parisiorum prima, conceptis votis, Societatis iecit fundamenta: Romæ ad D. Pauli, edita solemni professione illam veluti absoluit. Hæc summa duorum capitum, quæ omnia, si Pseudo-Constantinum interroges, à quibus acceperit, illicò tibi Ribadeneiram, Maffeium, Orlandinum locupletissimos testes laudabit, qui

I. *Suprema P.-C. ineptia Societati ea quasi oblitæ obiiciens, quæ ab eius historicis accepit.*

qui Ignatij gesta literis ad posteritatis memoriam commendarunt. Verùm, dic Pseudo-Constantine, non hi omnes è Societate sunt? Quàm ineptè igitur additur admonitio illa, *Agnosce sancta Societas* (tibi scilicet, qui illam ingrati animi vbique accusas) *primordia tua in Benedictinorū asceteriis cœpisse*, &c. Quàm ineptum hoc est? Te monitorem scilicet expectabant, qui ante hos XXX. aut XL. annos hæc scripserūt. A quibus enim hæc accepisti? ab ea opinor Societate, quam memorem esse iubes, & censorio supercilio, vt beneficia dissimulantem accusas? Verùm quomodo immemor, quæ tam luculenter prædicat? quæ editis libris, suspensis tabulis, vt ipse doces, marmoreísque inscriptionibus, ne rerum gestarum locis honor pereat, diligentissimè satagit? Societás-ne te monitore indigebat, qui ab illâ didicisti? Tu verò qui Constantini Caietani personam induis, cur non decorè saltem sustines? cur vt id ageres non didicisti cum nostris in scholis creuisse, & non pœnitenda eius, qua nunc floret, eruditionis fundamenta iecisse.

Pag. 45.

II. *Et vana, aut leuia sunt,*

Quamquam vt liberè loquar, vbi à Monteserrato discesseris, quid demum est, quod beneficij loco Societati habendum sit? At in monte Martyrum Parisiis, & ad D. Pauli, quæ Monasteria sunt Benedictinorum, vota conceperunt Ignatius, & Socij: scio, sed quid inde conficias non video; non enim consequens est, quod pertendis, plurimum eo nomine Benedictinis Societatem debere: nam templa omnibus patent; nec ideo canonicis D. Petri obnoxios Clericos Regulares quisquam sanus dicet, quod in Vaticano Principes illi IV. viri primum dixerint Ordinis sacramentum. Alia nomina sunt, quę nos Benedictinis Monachis addicunt, quæ libentissimè Societas nostra minima agnoscit, & quantum augustissimæ Familiæ debere se profiteatur, in loco à nobis commemorabitur.

III. *Vt templis vti, quæ omnibus patent.*

At templis, quæ omnibus patent, quæque antiquissimæ venerationis sunt, vsam esse, vt suas Deo primitias offerret, in beneficio ponere, hoc enimverò leuius est, quàm vt Constantinus acer ille Benedictinæ gloriæ vindex, cuius tu nomine, quo nobis licentiùs malediceres, impudēter abusus es, vt Benedictina maiestate inferius agnoscat pro suo. Monachorum operâ res eas gestas fuisse docēdum fuit

fuit, ne ineptus audires. Quàm multa enim cotidie ſanctiſſimis in templis à piis hominibus geruntur, quibus honor quidem locis additur; ſed nullà, vt opinor, ea curantium gloriâ, ſi nullam in operum partem veniunt? At ne ineptus omnino eſſet hariolandum, diuinandúmque aliquid illi fuit.

Audiamus, Conſtantine, quid enthea illi vis ſuggerat. Vota ſolemnis profeſſionis in manibus, vt loquuntur, alicuius Commiſſarij Apoſtolici emiſiſſe, & eum quidem Benedictinum Monachum fuiſſe oportuit. *Neque enim facilè opinandum eſt diſcretiſsimum Pontificem* (hac enimuerò barbarâ latinæ vocis vſurpatione à te, Conſtantine, ſatis diſcretus eſt Pſeudo-Conſtantinus) *in Eccleſiâ Benedictinâ, nobili, exemptâ*) etiámne ab Apoſtolici Commiſſarij, hoc eſt ipſius ſummi Pontificis auctoritate?) *ab alio, quàm ab eius Abbate actum iuriſdictionalem, ac ſolemnem exerceri iuuiſſe*; hunc verò, ne ignarum annalium hominem iſtum eſſe quis puret, excuſſis tabulariis ait ſe credere *Fuiſſe D. Laurentium à Mantuâ, virum prudentiſsimum, qui eo tempore cœnobiarcha præerat illi Baſilicæ.* An non prædixi vaticinari Pſeudo-Conſtantinum? quo enim argumento iſta fulciuntur? coniecturâ leuiſſimâ, *quia ante paucos annos Pontificio Breui electus fuit Commiſſarius Apoſtolicus Epiſcopus Caſertanus, qui vota Theatinorum Clericorum Regularium in Baſilica Principis Apoſtolorum auctoritate Apoſtolica ſuſciperet.* Hoccine, quia ſemel factum, perpetuo exemplo vſurpatum fuiſſe neceſſe eſt?

IV. *Profeſſionem in manibus Abbatis S. Pauli emiſiſſe Ignatium falsò docet P. C. euanidâ coniecturâ.* Pag. 47.

At alia omnia Ribadeneira, qui vel interfuit, vel ab ipſo Ignatio, Sociiſue paulò poſt accipere potuit. Audiatur: *Como llegarõ a quel dia a S. Pablo, ſe reconciliaron todos, confeſſandoſe breuemente vnos con otros: y el P. Ignacio dixo la miſſa en la capilla de nueſtra Señora, donde entonces eſtaua el ſanctiſsimo Sagramento. Llegando el tiempo de recebir el cuerpo del Señor, teniendole en ſu patena con la vna mano, y con la otra, ſu profeſsion eſcrita, ſe boluio ha'Zia los padres y en bos alta dixo deſta manera: Io Ignacio de Loyola, &c.* Quæ ſic

V. *Et contra veterum monumenta.*

Lib. 3. vit. cap. I. pag. 74.

Lib. 2. cap. 13. Maffeius. *Vt igitur ea dies affuit* (X. Kal. Maij) *in eo templo, ad sacellum B. Virginis, vbi tum Eucharistia custodiebatur, quod sacellum ad imos gradus est aræ maximæ:* (superstite scilicet Maffeio, nam nunc aliò translatum veneramur) *sub ipsam cælestis Panis communionem, ipse primùm, qui sacrificabat Ignatius, tum cæteri sua quisque vota clara voce de scripto ex Apostolici diplomatis formula nuncuparunt.* Eadem habet Orlandinus, illud addens, Lib. 3. n. 2. Ignatium vota nuncupaturum in genua procubuisse, ac lacrymis vbertim obortis, collacrymantibus sociis, clarâ voce vota concepisse. Quis hîc Abbati tuo locus, Pseudo-Constantine? Quis Commissario? An dicturus exertè tandem es, quod non obscurè innuis, studio id ab historicis nostris dissimulatum? quâ tandem gratiâ? parúmne ad rei totius confirmationem fecisset Commissarij mentio, & ipsum Apostolicum diploma allatum? vidésne, aut clarissimos historicos non modò de oscitatione, quod rem tàm illustrem prætererint; verùm de dolo malo accusandos, quòd ita factum composuerint, vt intrudendo, insuendóque Lauretio tuo de Mantua locum relinquerent nullum? Egóne, aut sanus quisquam tibi per ineptias de rebus centum amplius ab hinc annis gestis vaticinanti, potiùs quàm Ribadeneiræ temporum æquali, atque Ignatij alumno, quàm reliquis duobus, qui ex tabulario Romano, veteribúsque membranis historiam scripserunt fidem habeat? Insanis, si hoc speras, neque enim arbitror, si rem paulò accuratiùs examinasset auctor libelli Ducis Angelici, hæc inter Paulianæ Basilicæ decora insersisset: benè sit piis manibus hominis minimè mali, sed æditimi melioris quàm historici, cui à Pseudo-constantino nullam fabulæ serendæ, vulgandæque occasionem negligente, narratam P. 46. illam fuisse verosimile sit. Sed exigua hominis auctoritas est, & manifesta indiligentia. Verùm quod de conditis, atque perfectis ab Ignatio legibus narrat, antequam vota solemnia nuncuparet, id scias, Constantine, solemne atque adipatum mendacium esse, tuóque nomini ab isto sycophantâ iniuriam factam luculentissimam; nam Ignatius Constitutiones nec antequam fieret Præpositus Generalis ad scribendum est aggressus, cásque anno eius sæculi quinqua

Maf. lib. 2. cap. 10. Ribad. l. 4. cap. 11. Orland. lib. 10. num. 35.

quinquageſimo, aut quadrageſimo nono abſoluit, magno ſcilicet molimine, peruigiliſque tot annorum diligentia, aſſiduiſque precibus vſus, quod conſenſu tradunt hiſtorici, & nos mox demonſtrabimus.

VI. *Ficta inſcriptio examinatur & accuſatur falſitatis.*

Verùm antequam hoc ago, lubét-ne vt perelegantem illam inſcriptionem, quam Pſeudo-Conſtantinus à viro docto Monaſterij ſancti Pauli cœnobitâ ſcriptam aſſerit, & cum ara Deiparæ yerſicoloribus marmorum cruſtis, opere pereleganti, ornaretur prætermiſſam queritur, obiter inſpiciamus? Sic opinor; habet enim pluſcula, quæ animaduertiſſe non pœnitebit. Ea eſt huiuſmodi.

MEMORIÆ SACRVM.

Sanctus IGNATIVS de LOYOLA,

Quem Benedictina Religio in Sanctioris vitæ Incunabulis
Lactauit in Monte-ferrato:
Pietate adultiori prima nuncupantem vota Religiosæ vitæ
IN MONTE MARTYRVM suscepit:
Suæ SOCIETATIS condentem leges
Albanetano Casini montis secessu instruxit:
Triplici monte triplicem formans, fouénsque hominem,
Pium, Religiosum, Patriarcham:
Ad hanc Beatissimæ DEI-parentis Aram
Cum primis tanti Operis, & Ausi Socijs
Sui Ordinis solemnia vota Primus sacrauit:
Et SOCIETATI Domini IESV nomen, & auspicia dedit,
Anno Incarn. Dei M.D.XXXXI. XIII. Kal. Maij,
Sedente ad Catholicæ clauum Ecclesiæ
PAVLO III. Pont. Max.
Et sacri huius Cœnobij S. Pauli de Vrbe Abbate
Domno Laurentio Mantuano.
(Scilicet Beneficiorum à Benedictino Ordine acceptorum memor,
Alibi nec voluit, nec valuit gratiùs, feliciúsue;)
Viro Sanctissimo, & in Benedictinam Religionem animo gratissimo
CASSINENSES BENEDICTINI MONACHI
Sacrosanctæ Patriarchalis Basilicæ S. PAVLI de Vrbe,
Ne tanti facinoris hîc peracti memoria periret,
gratissimi posuere.

Memoria

Memoriæ sacrum. Id ex antiquâ superstitione perelegánter repetitum est. Quod enim hoc numen, cui sacrum aliquid dedicari possit? diceret saltem, Deiparæ. *Pietate adultiori prima nuncupantem vota vitæ Religiosæ.* Benè habet. Sed qui Castaldi placita hîc sequenti Cap. IV. rata habet? quum Castaldus, ac si pro aris, ac focis pugnaret, nihil ab Ignatio ante annum XXXIX. eius sæculi de Religione condendâ, quamuis irrito, infelicíque conatu, vt luculenter demonstraui Interr. XI. pertendat. Nimis citò mendacium sui obliuiscitur. Adde ista Religiosæ vitæ vota non fuisse; nam de obedientiâ nihil, neque ab Ignatio, neque à sociis ibi votum. *Suscepit Benedictina familia*: suscepit? quomodo? Quia in templo Benedictinorum vota illa concepta sunt? fac de spoliandis aris sacrilegorum vota fuisse, quænam tanti sceleris pars ad Benedictinos pertinuisset? nulla, opinor, si sanus est Pseudo-Constantinus respondebit. Tantundem hîc dicendum est. *Suscepit?* Quid si ignorauit? Quis enim Monialibus, siue Monachis eius templi curatoribus Ignatij, ac Sociorum tacita vota indicauit?

Longè maiore veritatis reuerentiâ in æde illâ celeberrimâ Montis Martyrum natæ ibi Societatis IESV monumentum extare voluerunt Moniales, quæ pro suâ in IGNATIVM pietate aliquid inde honoris loco accedere putarunt. Recitetur inscriptio, qua N. de Societate ante annum XXXIX. superioris seculi *Neque de proximo, neque de longinquo ab IGNATIO cogitata*, egregiè detegitur aberratio. VII. *Opponitur illi Parisiensis ad Montem Martyrum.*

D. O. M.

Siste Spectator, atque in hoc Martyrum Sepulchro probati Ordinis cunas lege.

SOCIETAS IESV

Quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoſcit Lutetiam Matrem, Anno Salutis M. D. XXXIV. Auguſti XV. Hîc nata eſt.


Cùm Ignatius & Socij votis ſub ſacram ſynaxim religiosè conceptis, ſe Deo in perpetuum conſecrarunt.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

Hoc eſt ſcribere, mi Pſeudo-Conſtantine, verè nimirum ac latinè, non obſoletis verbis mendaciſſque marmora inquinare, quod illâ tibi laudatâ fieret inſcriptione; nam pergit, vt ad illam reuertamur.

VIII. *Eiuſdem aliæ ineptiæ & barbaries.* *Albanetano:* mox accuratâ diſputatione dicti vanitatem, ineptiámque diſpungemus. *Religioſum*; ſi latinè tantùm loquitur, etiam in Monte-ſerrato id fuit Ignatius: ſi recentiori vocis vſurpatione, nec in Monte Martyrum, nec in Caſinati. *Patriarcham.* Quiáne ſocios habebat, quos Chriſto pepererat? Verùm id Pariſiis factum: quia leges ſcripſit? At id quum in Monte Caſinati fuit, nondum facere cœperat, & diu poſt ad ſcriptionem animum appulit. *Solemnia vota ſacrauit.* Hoccine tàm barbarè tu, Conſtantine, diceres? aliud eſt, quod Latini dicunt votum ſacrare; aliud, quod faciunt qui Religionis ſacramentum dicunt; quod Pſeudo-Conſtantinus monendus fuit, ne præter

prætermissam inscriptionem altiùs doleat. *Et Societati Domini Iesu, nomen, & auspicia dedit.* Laudo reuerentiam, sed Societas Domini Iesu nunquam à Pontificibus appellatur, Iesu enim nomen, fine illo auctario satis augustum? Rursum non ibi datum nomen, sed antea optatum ab Ignatio, & à Paulo III. probatum, in diplomate, quo Societatem confirmauerat. *Alibi nec potuit, nec voluit gratiùs, feliciúsque*, falsum, & audax dictum: Nihíl-ne plus Ecclesiæ Dei debuit, quàm Benedictinis? Cur non igitur in Vaticanâ, aut Lateranensi Basilicâ professus est? alia quàm grati animi ratio quærenda est. *S. Pauli de Vrbe.* Deflete Latini colles primæ notæ gemmam hanc neglectâ eleganti inscriptione subreptam, quam magno Latinitatis bono Pseudo-Constantinus posterorum memoriæ conseruauit. *Gratissimi posuere.* Quod enim beneficium acceperant, quum te quidem iudice contulissent? Nihil igitur est, cur doleat inscriptionem prætermissam, nec in marmor aut æs incisam, quam & ipse Pseudo-Constantinus famæ suæ compendio potuit silentio transmittere.



INEPTIA QVARTA.

De Albanetanâ Ignatij institutione.



IAM operiosiùs ineptit Pseudo-Constantinus, & quæ tibi olim scrupulum iniecerant omni conatu promouet vt Ignatium Monachis instituentibus Constitutiones scripsisse persuadeat, quæ illi summa votorum, exantlandíque laboris caussa videtur fuisse. Verùm id infelicissimè conatur, & malis auibus, vtinam non artibus. Possem doli mali arguere, quod sententiam hanc suam caracteribus, quibus auctorum

I. *Error, siue dolus P.-C. in citando Orlandini testimonio.*

ctorum testimonia recitare consueuit, exarauerit, laudato in margine Orlandini lib. 11. num. 29. quod nihil huiusmodi habet, sed malo id typographi, aut Correctoris oscitationi tribuere; quamuis quia facilè lector minùs attentus in fraudem induci potest, notandus siue error, siue fallacia fuit. Sed rem aggrediamur, & hominis dicta, ac sententiæ firmamenta in pauca ex fide contrahamus.

II. *Summarium probationum Albanetanæ institutionis.* Igitur Ignatium, non Ortizium solùm instituendi caussâ, sed legum pro noua Religione scribendarum in Casinatem, secessisse, ibique acceptas à tribus Monachis, quos ei operis socios, ac magistros Abbas attribuit, leges Societatis scripsisse, quas de monte descendens secum tulerit ad socios, docet. Illustrem hanc fabulam recentissimorum auctorum testimoniis, & traditione maiorum probare contendit. Singula, Constantine, si lubet, inspiciamus, videbis quàm infirmis, quàm leuibus, quàm nullis narratio tota fundamentis locata sit: vt propterea te qui acerrimo iudicio in antiquitate discutiendâ, probandâque versari consueuisti, contra historicorum nostrorum fidem pro Pseudo-Constantino minimè pronuntiaturum certissimè sciam. Age testes audiamus.

III. *Excutitur Arnoldi Vvionis testimonium, quod ad rem non facit.* Primus igitur testis producitur Arnoldus Vvion, cuius, quippe paulò vetustioris, hîc verba ex libro 1. Ligni vitæ cap. 1. recitanda sunt, quamuis enim Ignatio minimè æqualis ille sit, audiendus tamen est.

Ignatius Loiola Patrum S. I. Institutor in Hispaniâ nobilibus parentibus editus, postquam sæculari militia relicta, atque mundi curis abdicatis ad Dei militiam se tradidisset, atque ad salutem animarum promouendam totum se contulisset, suos, quos condere volebat, ita ex huius regulæ [de Benedictinâ loquitur] *institutis formauit* [*Casini enim positus montem illum contemplationis aliquot mensibus habitauit, ibique velut alter Moyses, & Legislator secundas religiosarum legum tabulas primis non absimiles composuit*] *vt breuissimo interuallo multiplicatum, factum inde fuerit, vt eius instituti doctrina, & pietate clarissimi viri totum iam ferè orbem collustrauerint.* Hæc Vvion. Hiccine pro trium Monachorum institutione laudandus fuit, qui illins nusquam meminit? Quid enim habet ille, quod Pseudo Constantino

Lib. 1. ligni vitæ c. 1.

stantino faueat? In Casinati secessu, opinor, commentatum fuisse Ignatium Regulas suas, quod licèt commentum sit, vitro concedam, quid inde extundet Pseudo-Constantinus? Hoccine est Monachis magistris discere? Quis Ortizium sub Monachorum disciplinâ profecisse dicet? At ibi plurima dies ipsos X L. commentatus est? Quis Francisco Camaldulenses institutores fuisse contendat, quòd is eremum illorum aliquandiu incoluerit, hodiéque cella illius hospitio nobilis religiosè monstretur? Possem plura in rem afferre.

Porrò qua fide Vvion scripserit, rumorem nempe sequutus, *aliquot illi menses* liquidò conuincunt, in quos X L. dies Ignatianæ commorationis amplificauit. Vt vt sit, recentior ille auctor est, quàm antiquæ rei contra temporum æqualem Ribadeneiram, testem admittam. IV. *Et falsa continet.*

Quod verò labantem Arnoldum tibicine addito Grauinâ se fulcire posse crediderit Pseudo-Constantinus, id enimverò eius hominis est, qui quo dudum calamo in nos, & clarissimæ memoriæ Cardinalem Bellarminium vir ille scripserit, lectoribus latere sibi persuadeat, quod quum orbi exploratissimum sit, eum virum, licèt egregium iure meo vlus testem non admitto.

Verùm age, Pseudo-Constantine, quodnam tandem est martyrologium illud Monasticum, ex quo elogium illud grandioribus characteribus libello tuo præfixisti? Quid ais? Ego libri auctorem deposco? quid siles? editus an ineditus sit interrogo, quid hæres? publicá-ne celeberrimi Ordinis auctoritate, an priuatâ lubentiâ sit scriptum quæro; quid palles? Adeóne fungos nos esse arbitrabaris vt tibi tàm magnificè mentienti illicò crederemus? vt grandioribus characteribus fucum nobis fieri pateremur? Edic, inquam, quis martyrologij auctor? Vbinam gentium impressus liber sit, quâ demum auctoritate procusus, probatúsque? Mihi enim clarissimi viri Marci Antonij Scipionis testimonio exploratissimum est, nullum esse Martyrologium Monasticum. Quare te dolo malo, quasi ex folio Sybillæ elogium illud recitare, ac proinde proiectè mentiri contendo. V. *Et Martyrologij Monastici.*

Nam si quid huiusmodi martyrologij Constantinus meditari dicatur, quodnam iudicium tuum fuit, cùm eius nomine scriberes, tàm alienè ab eius modestiâ scribere? VI. *Siue à Constantino promissi.*

Túne Constantine, teipso teste vterere? quodnam vnquam tam corruptum iudicium fuit, in quo idem esset accusator, & testis? quàm iure te huic homini irasci par est, Constantine, qui tuo nomine iniquissimè agat?

VII. *Siue à Vuione concinnati,* Noui ego apud Arnoldum Vvion Martyrologium ex Sanctis Beatísque, qui ex magni Benedicti familiâ prodierunt, coagmentatum; verùm in illo nusquam Ignatij nomen legitur, vt proinde tota hæc fabula in tuam recumbat auctoritatem, cuius inter reliqua operum meditamenta quibus paginam integram Leoni Allatio V. C. in Apibus Vrbanis occupasti Martyrologij Monastici nomen lego; vt iam prudentiæ pudorísque tui sit, ne depuduisse, ac desipere videaris, totum hunc, Pseudo-Constantine, locum acriori spongiâ delere.

VIII. *Et Honorati de Medicis, qui nihil ad rem P. C. dicit.* Iam verò de Honorato de Medicis Neapolitano videamus. Nihil ille pro caussâ, in qua testis aduocatur, dicit, & tamen adhuc à veritate diuertit. Audiatur: *Albanetæ prope montem Casinum, B. Ignatius, Pater Salmeron, cum aliis sociis composuerunt regulam Iesuitarum, Benedictinam sibi regulam veluti subsidiariam adhibentes, feceruntque multas Constitutiones.* Quam tu caussam agis, Pseudo-Constantine? non capite hoc probandum tibi sumpseras, Ignatium à Benedictinis Monachis in scribendis suæ Societatis legibus adiutum fuisse? Aperta res est, & testem aduocas Honoratum? admodum. At, rogo te, satin' sanus es, qui testem laudes, cuius nullus tibi sit vsus? Honoratus Monachís-ne dictantibus, an sociis iuuantibus Ignatium scripsisse dicat, nemo, qui laudatum legerit locum, dubitabit. Quamquam iam tibi, vt video, Salmeron, & socij in Monachos abiere. Sed hos ipsos suâ lubentiâ Ignatio in conscribendis Constitutionibus addit Honoratus, & in Albanetano secessu Salmeronem, sociósque non fuisse, qui nondum in Vrbem Venetiis venerant, res est in historiis longè testatissima. Porrò de Honorati historia, quæ adhuc lateat, neque Ordinis auctoritate probante in lucem proferatur, nihil habeo quod dicam, certè vt illi credam adigendus non sum.

IX. *Et aliquid minùs verum,*

X. *Nec integrum affertur.*

Te interim liuoris in nostrum nomen accuso. Cur enim integrum ex Honorati annalibus locum non recitasti? sic enim integer locus habet, vt ad me ex Casinati transmissus

sus est ex Annalium M. S. 3. parte, pagina 372. *In Albanetana Grancetâ sacri Casini B. Ignatius, P. Salmeron cum aliis sociis fecerunt Regulam Iesuitarum, adhibentes Regulam S. Benedicti, & ibi fecerunt multas Constitutiones. Hi Iesuitæ exinde tanquam nouus Sol in pretio sunt per totum mundum propter vitæ exempla.* Quæ postrema verba, quia ad palatum non faciebant, dissimulanda iudicasti.

Iam Marcum Antonium Scipionem audiamus, quem ego virum eruditione plurimâ, & religiosissimis moribus nobilissimum cùm vehementer diligem,& colam. Eum domesticam famam sequutum additâ ad Ioannem II. Abbatem XXIX. appendice ea scripsisse, quæ ab omni historiarum ac veterum nostrorum monumentorum fide alienissima sunt vehementer dolebam. Igitur cùm Romæ hominem vidissem, vt veritatis peramantem rogaui, vt quandoqnidem Casinatem ad montem iter intenderat, veteres ibi membranas excuteret, monerétque, si quid firmandæ, quam sequutus fuerat, famæ ostendisset. Is igitur datis ad me litteris Idibus Iulij anni CIↃIↃCXLII. post egregiam mearum Interrogationum laudem, quam libens omitto, sic scribit. XI. *Testimonium M. Antonij Scipionis, viri eruditissimi ex ipsius epistolá declaratur.*

Martyrologium Monasticum, in quo Ignatij, Sodalitatis vestræ Fundatoris sanctissimi, perridicula, & subindecens, aut certé parùm honorifica mentio habeatur, neque ego vidi vnquam, neque vbi locorum deliteat facilè possum coniectare. Vtrùm verò idem Ignatius in conuersorum Benedicti Ordinem adscriptus fuerit aliquando, librúmue Cisnerianum compilauerit, necne, mihi sanè non liquet, vt qui hæc, aliaque id genus permodicæ frugis nunquam mihi putauerim curiosiùs esse inuestiganda. Cæterùm ad Constitutiones quod attinet, firma, & constantissima fama à maioribus ad posteros deinceps transmissa peruulgauit, fuisse ab Ignatio ad Albanetam compositas; vti ego in meis elogiis explicatius adnotaui. Quamuis in Casinatis tabularij membranis nihil repererim, quod communem hanc opinionem nobis certò confirmet, ac stabiliat. (Et miranda sanè negligentia maiorum

 fuisset,

fuiſſet, ſi tres illi Monachi viri tàm graues Ignatio Conſtitutiones dictarunt, in aduerſariis, monumentiſue antiquis nihil quod ad rei memoriam faciat reperiri.) Sed pergit Scipio.

XII. *Et cum Veritate componitur.* *Adducor ego vt credam, Ignatium in Albanetano ſeceſſu degentem cùm è D. Benedicti regulâ, aliorúmque Legiſlatorum inſigniores locos complures condendis ſui inſtituti regulis maximè accomodatos non ſolùm diu, atque attentè expendiſſet, ſed in ſcripta etiam retuliſſet, ſuarum legum prima veluti lineamenta duxiſſe, quibus deinde per otium ampliatis, & accuratiore diligentia expolitis vltimam deinde manum fortunatiſsimo euentu impoſuit. Hinc ſimillimum vero tritiſsimam, quæ etiamnum apud nos, vt cùm maximè viget, conditarum à ſancto Ignatio in Albanetano Cœnobilio Conſtitutionum famam emanaſſe. Aliud hac ſuper re, quod certius, atque exploratius ad te perſcribam, mihi ſanè occurrit nihil. Vale cùm omnigena eruditione, tum admirabili inprimis eloquentia præſentis æui clariſsimum decus, & Aloyſium Albricium Apoſtolicum concionatorem plurima ſalute meo nomine imperti. Caſini, Idibus Iulij anni* CIƆ. IƆC. XXXXII. Huius ego viri, & humanitatem exoſculor, & iudicium complector. Multa Ignatium in illo XL. dierum otio legiſſe, adnotaſſe, quæ vſui futura crederet, interrogaſſe viros graues, qui Benedictinarum legum vſus commodiſſimus, quæ eſſet intelligentia, cur ego refellam nihil habeo, & famam eam, quam conſtantiſſimam Scipio eſſe dicit, aliquod habere caput, libens concedo. Porrò, ſi quis inſtituti lineationem, ſi formulam vt vocat, ſi Conſtitutiones, quibus nunc vtimur, quáſque plurium annorum ſtudio vſus, magníſque diuinis illuſtrationibus edoctus, anno demum ſæculi ſuperioris quinquageſimo abſoluit Ignatius, in Albanetano ſeceſſu conditas contendit, falli eum aſſero, & habeo, quæ me dicere id compellant veterum membranarum, hiſtoriarúmque monumenta, quæ annalium more in annos digeſta erroris vix argui poſſint.

Vnus iam Angelus Sangrinus Pſeudo-Conſtantino ſupereſt

perest, à quo nonagenario se iuuenem audisse testatur. Principio si negem Sangrinum dixisse, quî probaturus id es, Pseudo-Constantine? Quàm multa fingi possunt, si ea probandi corruptela gliscat in iudiciis? Tibi testem laudanti, cuius in tabulis dicta relata non sunt, quorum testem ne vnum quidem das, ego credam? Amens sim, si hosti infensissimo fidem habeam. Sangrinus dixit. Sit hic omni exceptione maior, nihil abnuo: sed dixisse pernego. Negas? nego, inquam dixisse. At ego me audiuisse aio: at ego te mentiri aio, & aliàs mentitus, meritus es, vt hoc audias. Sed nolo summo hîc iure agamus, Constantine; demus aliquid audiuisse Pseudo-Constantinum, & facillimâ coniecturâ fabulæ cubilia irrumpamus. XIII. *Sangrini testimonium reiicitur, vt confictum.*

Diuinandum aliquando, vt in antiquis, est, & ex certis incerta quàm commodissimè collocanda. Igitur ita rem se habuisse, rebus omnibus diligenter expensis, mihi persuadeo. Tresillos Monachos Ortizio Cæsaris Legato, hospiti clarissimo, atque Ignatio, quo ille magistro vteretur, adesse iussos per eos X L. dies, quibus Casini fuêre: cum illis sæpiùs de religiosæ vitæ institutione, de magni Benedicti Regulis, idque genus aliis contulisse Ignatium nullus dubito. XIV. *Aut certè amplificatum.*

Quid enim cum grauissimis viris, ac religiosis hospitibus sanctus ipse, & totius sanctitatis scientissimus fabularetur? Hinc porrò cùm ab hospite quondam suo conditam nouam familiam, eámque optimis, & quæ Benedictinarum aliquid habere viderentur, firmatam legibus, fama vulgasset, facile fuit tres viros illos sermonum cum Ignatio habitorum recordatos, eos apud suos vulgasse, paulatimque, vt mos illius est, gliscente inter domesticos famâ institutores Ignatij habitos, creditósque vulgo, non vni Pseudo-Constantino, sed tibi etiam Constantine, ita imposuisse, vt creberrimus de Albanetâ tibi sermo fuerit; neque enim heri aut nudiustertius hæc agitare cœpisti. Vigesimus annus circiter agitur, cùm te Romæ de hac tuâ persuasione disputantem audire memini. Nisi res ita se habuit, libero vt veritatis assertorem decet, ore pronuncio, fabulam esse longè fabulosissimam, quicquid de Albanetanâ institutione Pseudo-Constantinus nugatur. XV. *Facilis occasione vicinæ veritatis.*

Nam quod homines de Societate, qui ad Casinum Religionis gratiâ peregrinantur factis in suam sententiam ire gloriatur XVI. *Reiicitur coniectura à no-*

ſtrorum itione in Albanetam,

gloriatur, quòd Albanetam inuiſant Ignatij olim hoſpitio nobilitatam (potuiſſet etiam dicere pedibus illos ire) quàm leue ſit nemo non videt; ſat enim ampla filiis eundi cauſſa eſt, ſanctiſſimi Parentis qualiſcumque memoria.

Et tabulâ ibi pictâ.

XVII. Porrò in tabulâ expictam ibi cerni eam inſtitutionem quid momenti afferat, non intelligo; nam fabula etiam Ignatianæ petitionis, & repulſæ à B. Caietano relatæ magnificé depictam, ſed non probatam fuiſſe Syracuſis luculenter docui, in meis ad Caſtaldum Interrogationibus. Cæterùm cùm præter vnum Sangrinum teſtem non habeat illa narratio, quæ, vt docui, facili amplificatione à nonagenario ſene potuit, ipsâ tam ſenectâ ætate id concedente, variari; neque à Sangrino ipſo quidquam literis ad memoriam poſteritatis commendatum hac de re habeatur; nec in Caſinati tabulario membranæ vllæ tàm nobilis rei indices deliteſcant, quòd audacter ex diligentiſſimi aduerſarij ſilentio, & Marci Antonij Scipionis teſtimonio affirmare mihi ſolutum eſt, neque enim illas non quæſiuiſſe vindicem Benedictinum, nec inuentas diſſimulare voluiſſe hominem, qui vndique labanti ſuæ cogitationi tubicines ſubiicit, veroſimile eſt. Vanitatis plurimæ tota illa narratio meritiſſimè arguitur.

Opponitur illi fides nobilium Hiſtoricorum.

Vt vt ſit, huic de Ignatianâ inſtitutione ab ipſomet ad-
XVIII. uerſario longè, latéque & ſermonibus, & litteris noſtrâ memoriâ diſſipato rumori, antiqniſſimarum membranarum fidem, Petri Ribadeneiræ, qui paulò poſt Caſſinatem commorationem Ignatio adhæſit, Maffei, atque Orlandini, qui accuratiſſimè ſcripſerunt, diligentiam quin præhabeam cauſſam nullam video: Itaque cum hiſtoricis noſtris, & tibi, Pſeudo-Conſtantine, fidem habere minimè poſſim, dabis hanc veniam veritati, vt te in fabulatorum claſſem relato, ſua illis maneat dignitas incorrupta. Et ſanè teſtium antiquitate, numero, ac dignitate vincimus, Conſtantine. Ego enim potiùs Sangrinum nonagenarium ſenem delirasſe dicam, quàm mentitum eſſe credam Petrum Ribadeneiram virum longè clariſſimum, quíque legitimè interrogatus auctoritate ſummi Pontificis omnia in vita Ignatij aliquoties à ſe editâ, ſacroſanctâ iuriſiurandi interpoſitâ religione confirmauit, ídque non ſemel, ſed iterum.

De hoc Ribadeneiræ teſtimonio ſic diligentiſſimè Nicolaus

colaus Lancitius in chirographo, quod apud me ritè obsignatum habeo, quódque ille ante hos VIII. annos cùm Societati Lithuaniæ moderaretur iuratus edidit anno scilicet XXXVIII. VII. Idus Octobris. XIX. *Præsertim Ribadeneiræ iurati testis.*

Porro sciendum est R. P. Petrum Ribadeneiram expresso iuramento confirmasse omnia prorsus, quæ scripsit in tribus vitis sancti Ignatij: quarum prima edita est Neapoli in octauo 1572. ex Typographia Iosephi Cacichij subscripta à Dusimo Vicario Generali, & Ioanne Francisco Lambardo. Secunda copiosior multò, edita est ab eodem anno 1586. impressa Madriti apud viduam Alphonsi Egomezij, & postea pluribus in locis recusa, & variis linguis reddita: tertia Hispanicè in folio edita est ab eodem anno 1604. impressa Madriti per Ludouicum Sanchel, & iterum anno 1606. recusa, & postea reddita Latinè ex Hispanico, & distributa in capita à Gaspare Quartemontio cum Græca interpretatione è regione appicta, & impressa Augustæ Vindelicorum anno 1616. quæ deinde posita est 31. Iulij in posteriore editione vitarum Sanctorum Lurentij Surij impressarum Coloniæ anno 1618. sumptibus Ioannis Kieps, & Hermanni Millij. Præstitit autem Ribadeneira suum iuramentum confirmatiuum rerum in vita sancti Ignatij scriptarum iuridicè examinatus primùm anno 1595. authoritate Camilli Caietani Patriarchæ Alexandrini Nuncij Apostolici apud Regem Hispaniarum: deinde anno 1606. in Octobri iam Octogenarius auctoritate Apostolica examinatus in processu canonizationis sancti Ignatij coram Bernardo de Sandoual, & Roias S. R. E. Cardinali & Archiepiscopo Toletano, & coram Melchiore de Soria Episcopo Troiano Commissario Apostolico designato auctoritate Sedis Apostolicæ, designatis authoritate Sedis Apostolicæ per Paulum Quintum à sacræ Romanæ Rotæ Auditoribus.

Huic ergo iurato testi, cui ob claritudinem nominis, atque virtutum etiam iniurato crederem, Sangrini familiarem confabulationem ego anteferam? Aut quisquam sanus, & à studio partium alienus hoc æquum censeat? Sangrinus XX. *Contenditur Sangrini domesticum di-*

ctum, & Historicorum publica narratio.

grinus asserit Ignatium instituentibus Monachis Constitutiones Societatis IESV in Albanetano secessu anno XXXVIII. sæculi superioris scripsisse: Ribadeneita contra Ignatio assiduus, statim post conditam Societatem, & in illius historiâ diu, multúmque versatus, Ignatium anno consequenti sociorum hortatu formulam quandam noui Instituti, quam dudum animo ille quidem conceperat, ad explicandum accessisse, quam Pontifici traderet Apostolicâ auctoritate firmandam: leges verò, & Constitutiones nonnisi confirmatâ iam Societate, postquam ipse Generalis esset factus anno XLI. scribere aggressum, tradit, cui credendum? Dubitas adhuc, Pseudo-Constantine, si hæc in concione sapientum Ribadeneira rediuiuus pronunciet, foret vt antiquum M. Scauri exemplo renouato solus Sangrinus ab omnibus destituatur? Vbi enim dixit? Coram quibus? quàm consideratè? Nec in publico Romanæ Ecclesiæ iudicio, nec coram Episcopis, aut Cardinalibus, nec legitimè interrogatus, nec iuratus dixit; contra verò Ribadeneira, vt antea docui; qua igitur confidentiâ illius testimonium vt traditionis, quam appellas, caput Ribadeneiræ obijciendum putasti? An adeo dominaturum te in huius eruditissimi sæculi luce credebas; vt audito Sangrini nomine in illius verba omnes iurarent? Quid ego de Maffeio dicam, cuius acerrimum in historiâ scribendâ elucet iudicium? Quid de Orlandino, de cuius fide Franciscus Sacchinus in præfatione, quam illius historiæ præfixit, nihil in rebus humanis certiori fide, aut diligentiâ potuisse scribi accuratiore testatur, quod ne sociis gloriæ datum suspiceris, facit eiusdem Sacchini labor improbus, quo historiam Orlandini ad veterum monumentorum, quæ habebat in potestate, fidem particulatim exegit, ac recensuit amico, qui ad pauciores, antequam ea ederetur historia iam abierat, laboriosissimam iuxta ac fidissimam hanc operam nauans. Hisce viris rerum ab Ignatio gestarum indagatoribus diligentissimis, & religiosissimis conditoribus, tu Sangrinum de ijsdem in angulo tecum fabulantem oppones? Remoue Sangrinum istum, à quo Albanetanam institutionem accepisse te iuuenem credi vis, quem alium, nisi te ipso recentiorem testem habes? Qua igitur lege agis, cùm vnum tribus, hominem nullis in historia ingenij monumentis nobilem, viris in illa celeberrimis;

rimis ; illius habita cum adoleſcentibus colloquia, in quibus mira ſenum antiqua repetentium tempora libertas, & ſecuritas eſt, cum horum ſcriptione editiſque hiſtoriis, quæ cùm plurimorum parum æqua iudicia ſubituræ ſint, diligentiſſimè ab ijs, qui famam non aſpernantur, ſcribi, atque amicorum cenſuris explorari conſueuerunt? vnius, inquam Sangrini, neſcio quam fatiſcente nonagenarii ſenis memoriâ eductam narrationem, cum hiſtoriâ ex ſcriptis, publiciſque monumentis excerpta, magnorúmque virorum, qui rebus gerendis adfuerunt fide, ſine eruditorum conuitio, ſine veritatis iniuriâ contendes? Quem enim alium habes, quàm Sangrinum, à quo te accepiſſe dicis, à te enim & Grauina, & Scipio, & Honoratus de Medicis viri quantumuis magni acceperunt. Itaque in vnum Sangrinum fides tota inclinata recumbit, imo procumbit; nam capulari, atque in hiſtoriâ inualido ſeni tantam contentionem ferendo, vires non ſufficiunt.

XXI. *Refellitur Albanetana inſtitutio à ratione temporum.*

Sed quod nullo idoneo auctore, tuáque ſolâ lubentiâ vulgatum eſt, non modò leuitatis, ſed apertiſſimæ iam tandem arguamus falſitatis, ex rerum geſtarum fide, ac temporum ratione, quam omnino in hiſtoriâ magnifaciendam viri ſapientes docent. Igitur quî fieri poteſt, vt anno XXXVIII. eius ſeculi triumuiris illis dictantibus leges Societati ſcripſerit Ignatius, qui anno XXXIX. conſequenti, Sociis hortantibus eius ideam, quam formulam Inſtituti vocant, ad ſcribendum curas conuertit, vt eam Chriſti Vicario traderet contemplandam, & probandam, quod anno XL. factum diſertiſſimè ſcribit Polancus in hiſtoria? Qui anno XLI. quo factus eſt Præpoſitus Generalis, Conſtitutiones ſcribere aggreſſus, eas demum longo molimine pluribus annis abſoluit? Docent iſta Ribadeneira, Maffeius, Orlandinus, tu contrarium prętendis: Quo auctore? rogas? inquis, Sangrino, nam hic vnus veritatis fidus myſtes mihi adoleſcenti nonagenarius ipſe narrauit: Tui illi, vt Benedictinorum luminibus officerent, fabulatores egregij rem miris actibus diſſimularunt, atque offuciis inuoluerunt. Niſi tam luculenter inſanis, vt ſic loqui audeas, quod ſcribis, tueri non potes. Nam anno XXX.VIII. leges dictantibus Monachis ſcripſiſſe, atque abſoluiſſe, quod ore tradis ingenti, & XXXIX. animum ad eas lineandas primùm adieciſſe, & XLI. de iis perpo-

liendis, explicandísque cogitationem suscepisse, nimium quàm immaniter distant. Porro vni Sangrino in re alienâ peregrinanti seni potius, quàm tribus Ordinis historicis accuratè scribentibus standum esse quemquam, cui sanum sinciput sit, affirmaturum quis credat? Quid enim caussæ fuit cur mentiretur? ne à Benedictinis accepisse videremur? Si hoc dicendum putas, iam non ineptè, sed malitiosè agis, & viris probatissimæ fidei ingrati animi vitium inexpiabile odiosissimè impingis. An gloriosum non esset â Benedicto didicisse, cuius è fonte tot legum sanctissimarum sunt facta diuortia? Verùm vt hoc esset, fabella Sangriniana conflanda non fuit, neque vllo in iudicio euinces, illi potius, quàm istis esse credendum; nam & insanos plus domi sapere, quàm foris peracutos, prouerbio detritum est.

XXII. *Et quid verosimiliter dici possit, expenditur.*

Si Ignatium aliquid Ordini, quem animo dudum conceperat ac iam parturiebat, conducibile in Albanetano secessu meditatum fuisse, si eâ occasione, atque otio vsum Benedicti leges excussisse, si à grauioribus Patribus de illarum mente, atque vsu quæsisse dicis, nihil ego te moror; quanquam huius rei nulla in monumentis nostris sit mentio, quæ tamen longè minutiora ad posteritatis memoriam sempiternam ediderunt; sit vt lubet non repugno. At ex illo monte legum secum tabulas ferentem veluti alterum Moysem descendisse, quod magnificè iactatur: at Monachis dictantibus Constitutiones Societatis scripsisse, tàm ab omni abest verosimilitudine, quàm ab institutione Monachorum tota lex nostra longissimè abit formâ viuendi.

XXIII. *Theophili Raynaudi testimonium perperam, & falsò allatum.*

Sed atrâ iam tumentem bile, méque limis oculis intuentem videre mihi videor Pseudo-Constantinum, vtque hominem me malæ fidei accusare, quòd testem clarissimum cuius omni exceptione maius sit testimonium, quòd & incredibili quadam eruditione celebre seculo nomen sit, & in Societate ab adolescentiâ in diem hanc clarissimâ semper famâ versatus, quíque vt domesticus rejici à me non possit, dudùm cautè dissimulem. Is est Theophylus Raynaudus quem suæ fabulæ laudatorem appellans, illius dictis suffocare se posse veritatem credit Pseudo-Constantinus.

Lib 1, cap. IV. pag. 36.

Sed ego, si homini magnam insaniam precari voluissem, quod à me absit vt faciam, nullam tantam imprecari potuissem, quam vt Raynaudi verba peruerteret, & virum

veritatis

veritatis acerrimum propugnatorem in fabulæ testem adduceret. Quid enim insanum magis, quàm viuentis adhuc Raynaudi eruditionem irritare, illique contumeliosissimè maledicere? Dabit illi debitas pœnas, qui hoc ausus est, Constantine. Interim qui de hac totâ caussâ illius sensus sit, ex epistola quam Auenione ad me dedit Pridie Kalend. Septembris audiamus.

EPISTOLA
THEOPHILI RAYNAVDI
AD IOANNEM RHO.



X litteris Reuerentiæ vestræ intellexi, hominem nescio quem, sumpto sibi nomine Abbatis Ordinis S. Benedicti, libellum nuper edidisse de Religiosâ S. Ignatij per Monachos Benedictinos institutione, déque libello exercitiorum ab exercitatorio Garsiæ Cisnerij magna ex parte desumpto. Eius libri parte primâ, capite quarto, auctor probaturus sanctum Ignatium in Casino Monte Constitutiones Societatis, dictantibus tribus Monachis excepisse, dicitur me testem adducere in hæc verba. Theophilus Raynaudus sub nomine Fratris Emonesij idem testatur; nam in Præfatione libri, cui titulus: Splendor veritatis; in cuius tamen frontispicio veritatem læsit mortaliter, voluitque splen- XXIV. *Suâ ipse docet Epistolâ.*

dere mendacio, dum falsò se ementito nomine Fratrem Emoncsium Commissarium Ordinis S. Francisci apud Salassios, pro Theophilo Raynaudo appellat, & S. Francisci fune, veritatē dicam, an Iesuitam suffocat; in eá inquam præfatione ad hunc modum sanctum Patrem Benedictum alloquitur. Sancti Ignatij soboles, domi primum tuæ in Monte Martyrum Lutetiæ concepta, postmodum verò instituti ideâ absolutissimâ parenti exorata, felici enixu in Cassinensi tuo Asceterio veluti ēdita. Hæc sunt quæ accepi in dicto libello prolata esse, ad me producendum in falsum testem, contra S. Ignatium; quæ cùm le-

XXV. *gissem, & veluti falsius legendo, iterum, atque ite-*

Queriturque de iniuriâ, & *rum relegissem, fateor, defixus sum admiratione, non tam meâ causâ, tametsi non vno vulnere confossus, quàm ob plagam famæ sancti Patris nostri illatam, cùm indignissimi plagij insimuletur. Verùm hæc stropha adeò malè materiata est, vt sperare liceat sanctum Patrem, satagente præsertim Rª Vª indemnem prorsus futurum: figmentum verò huius Pseudo-Abbatis retectá veritate in*

Lib. de Dignit. Cleric. cap. 103. *eius totius infamiam cessurum, vt illi apud Philippum Bonæ Spei Abbatem, Monacho contigit: qui disputationis suæ cum Clerico Notarius ad horam exultauit in luce mendaciorum, & falsationum, quibus Antagonistam suum grauauit; mox enim reuictus, omnium sannis, & ludibrio patuit, Clerico per afficta probra, magis nitente. Sed de sancto Ignatio Rª Vª curam relinquo.*

Præ grassatione verò in eius famam floccifacienda videtur

videtur petulantia in postremissum eius filium; quem peccati mortalis, & splendentis mendacij apertè damnat, transformátque in carnificem, & veritatis, ac Iesuitæ, admoto S. Francisci fune pro laqueo, dirum strangulatorem. Hic Sapientia Pseudo-Abbatis deuorata est. Aduocauit enim in testem contra sanctum Ignatium, hominem, quem grauat tot exceptionibus, vt vnaquæque earum à ferendo testimonio repellere sit plusquàm idonea. Quomodo enim validè suffragabitur persona infamis, & in fronte ipso operis, mortaliter mentiens, ac splendere mendacio quærens? Quomodo idoneus habebitur; qui viro Sancto, dicam impingat, homo strangulator Religiosi, ac veritatis, & quidem fune sancti Francisci impiè, ac sacrilegè adhibito pro laqueo? Sanè semel mendax deprehensus, non modò mendacium dicere præsumitur, sed etiam non modicâ suspicione circa alia probra laborat, vt ostendit Mascardus; addens semel mendacij ritè notatum, & in præteritum præsumi mendacia dixisse, & deinceps dicturum; est itaque ineptus qui adhibeatur in testem præsertim ab eo, qui hisce floribus illum resperserit, quin inquam mortalis mendaciloquij, & suffocatæ veritatis, ac lanienæ, & carnificinæ detestandæ illum arguerit. XXVI. *Oscitantiam P.C. demonstrat.*

Eadem huius cæli, ac terræ censoris oscitantia, imo certans cum supinitate malignitas, vncialibus literis exarata, aut etiam solis radiis descripta legi potest in ipso operis quod allegatur, vestibulo. XXVII. *Titulum sui libri affert, et explicat.*

Ita enim habet titulus. Splendor veritatis mora-

 lis,

lis, collatus cum tenebris mendacij, & nubilo æquiuocationis, ac mentalis restrictionis, addita depulsione calumniarum; Quibus Ioannes Barnesius Monachus S. Benedicti, Leonardum Lessium Societatis IESV Theologum onerauit, per Fratrem Emonesium Ordinis S. Francisci apud Salassios Commissarium Auctoris Auditorem. *Audisne* Auctoris Auditorem? *Vbi mortale mendacium? vbi splendor à mendacio captatus? vbi carnificina veritatis, & Iesuitæ strangulatio per funem S. Francisci admotum pro laqueo? Abba Pater, vestra maledicentia, & cordis inopia splendet, strangulans veritatem, & impingens Iesuitæ lanienam, quâ vos ipsi sordetis: Qui enim* Auctoris Auditor *dicitur, nequaquam Auctor appellatur, & vt Autor sub medio alieni nominis latere voluisset, absurdè, ac malignè diceretis, eum voluisse splendere mendacio. Qui enim quærit ipse in palàm esse, ac splendere, non in occulto aliquid facit, nec alienum sibi nomen, veluti personam, ne internoscatur, affingit. Itaque sal vestrum infatuatum est, & acumina quibus cauillari alios gaudetis, sunt omni pistillo retusiora.*

XXVIII. *Docétque dissimulari aliquando posse nomen.* *Age verò non per alium, (quem sanè necesse non est esse operis per eum editi Auctorem) edat quis ex causâ idoneâ lucubrationem suam; sed alterius nomen absolutè & simpliciter, & ex iustâ causâ adscribat operi,* quo

quo iure, non Panormitanus, qui cautiùs pronunciaret, sed Pseudo-Abbas Siracusanus peccati mortalis eam alieni nominis adscriptionem damnat? Hac vnâ temerarij iudicij falce, viros vndecumque magnos, & in Dei Ecclesiâ egregiè conspicuos desecat, vt alligentur in fasciculos ad comburendum. Opus S. Prosperi ad obiectiones Vincentianas, nomine S. Augustini ad articulos sibi falsò impositos conscriptum est, vt Fulgentius. Monimum docet. S. Anastasius Sinaïta testatur, se Tomum dogmaticum nomine S.Flauiani euulgasse. Vigilius, siue Tridentinus, siue Africanus fatetur se D. Athanasij nomine lucubrationem aduersus Sabellium, Photinum, & Arrium, publici iuris fecisse: Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis, Martyrij trabeâ, quàm Romanâ purpurâ clarior, Henrico octauo supposuit opus suum, Assertionis septem Sacramentorum, vt scribit Sanderus: Dialogos Alano Copo Amico suo adscriptos de variis Religionis capitibus, elucubrauerat Nicolaus Harpsfeldius. Quis malè feriatus, istos dicat splendere voluisse mendacio, & peccasse in ea prudenti negotiatione mortaliter? Versò hoc punctum plenè in opere de iustâ confixione librorum, & monstro, regulam iudicis, & Pij V. decretum, de palàm offerendo Auctorum nomine, interdum ex infrequenti caussa, arbitrio Præsidium probando, posse euigescere.

Lib. 1. ad Alom. c. vlt.

Lib. 1. ad Monim. cap. vlt.

Cap. 10. Ὁδηγ.

Lib. 5. contra Eutych.

Lib. 1. de Schis. Angl. ad Annum 1535.

Partit. 1. Erotem, &c. §. 5. & Eroten. 19.

XXIX. *Mentémque suam aperit.*

Aduersarij insipientiam non minùs luculenter exhibet, quod me sui falsiloquij testem aduocat, iis ex me recitatis, quæ nullam habeant cum re, de qua agitur,

cohæ

cohæsionem, nexum nullum. Dixi ego sanè, S. Ignatium in Cassino monte per dies quadraginta diuersatum, insignia pleraque lumina, exorante S. Benedicto loci Patrono, accepisse diuinitus. Euge bone senex. Tu me testem profers, quasi dixerim, S. Ignatium Constitutiones suas excepisse à tribus Monachis & expilasse Cisnerij Monachi exercitatorium. Hanc caudam (ô bone) equouitulo traxeris, videris ipse. Mihi tale quippiam numquam in mentem venit. Etsi mihi excidisset, limo, non calamo abductum tàm turpe, tàm falsum, tàm insulsum commentum vellem. Ego enim ne per somnium quidem cogitaui, quid Pseudo-Abbas mihi affingit, sed cùm S. Ignatius in Montem Cassini secessisse legatur, non dubitaui, quin S. Benedictus ei exorauerit multa lumina, ad perficiendum institutum, quod satis mihi tunc fuit, vt possem infrunito N. illi quem castigabam, S. Benedicti iram ob appetitam Societatem spondere. Itaque tua vigilantis somnia, aliis prolatis testibus confirma. Me certè suffragatorem nec habuisti, nec habiturus es, vel si quæstum vberem ex inhonesta Petri de Honestis distractione, quam interclusam auaritia tua indoluit, vniuersum pro falso testimonio annumerares. Intelligit Pseudo-Abbas quæ dico, & penitus intelliget cùm lutulentam asperginem eâ ex causâ ab ipso profusam, non obscurâ dumtaxat famâ vulgante, sed propriis oculis vsurpare contigerit. Dimisso hoc Sanctorum dehonestatore, ad te reuenio admodum R. Pater. Non patiuntur fines,

quos

quos mihi vel nolenti figit epistolaris angustia, vt impostor iste, qui posuit in cælum os suum, & cuius lingua transiuit in terra, fortiùs hoc loco, vel diutiùs vapulet, quod præstiturum me recipio, si aliunde sycophantiarum eius horrea, libros dico ab eo editos, hinc transmittantur.

Iterim R. Vestram rogatam enixè volo, vt quando veritatis, & S. Patris Nostri patrocinium suscepisse fertur, disertè, & perspicuè meo nomine contestetur, quantum ego absum à commento, quod mihi affinxit scriptor, cui noxiam pro corde, vt de Morcione aiebat Tertullianus, sed pro cerebro peponem fuisse, cùm talia chartis illineret, necesse est; quod enim satis mirari non possum, hic Ericius foueam inuenit in S. Benedicti interpellatione præfixa scriptioni, qua non inualida strigili defricare memini virulentum Leonardi Lessij exagitatorem. Si secunda S. Benedicti interpellatio per huius alterius, ex eadem sanctissima, & numquam satis laudata familia (vt falsò credi vult) contactæ ouis importunitatem, mihi necessaria fiat, experietur tantò robustius admotam manum, quantò fratris defensione iustior, Deóque, & hominibus acceptior esse, & Patris, & Sancti propugnatio. Reuerentiæ Vestræ sacrificia mihi humillimè apprecor. Auenione, prid. Kal. Septembris 1642. XXX. *Ac liberè protestatur alienam fuisse à P.C. mendaciis.*

Seruus in Christo addictissimus,
THEOPHILVS RAYNAVDVS.

Hactenus vir eruditissimus quem irritasse vereor, ne Pseudo-Constantino olim carò stet, Constantine. Vt enim catuli gregales magnorum leonum fremitu audito contremiscunt, sic hominem alienâ eruditione se circumspicientem, ad generosam illius indignationem sibi malè metuere est necesse.

XXXI. *Bellarminiani facti ficta, & falsa narratio reiicitur.*

Verùm quid ego præclaro illi Bellarminiano testimonio tamdiu moror respondere? Quin Bellarminus vera dixerit, non ego vnquam negauerim; Tanta hominis sanctitas fuit, tanta semper viri reuerentia, vt cùm ab iuratissimis hostibus, quos immortalibus suis controuersijs profligauit, Candidi Papistæ, vt barbaræ sectæ loquuntur, laudem retulerit, quæcumque ab illo dicta, vel in domesticâ confabulatione fuisse probaueris, nemo sanus pro veris non habiturus sit; sed quò maior tanti nominis auctoritas est, eò liberiùs quæ à te referuntur, ab illo dicta pernego; neque enim dici potuerunt, cùm vera non sint. Quamquam, etsi essent, nihil ad caussam facerent, quod familiare nouitij huius disputatoris vitium est, Constantine; quem, vt hoc primum ostendamus, inficentissimum vbique, fabularum architectum, nec opportunè quidem mentiri scire iam videbis, neque enim nouit ingeniosè nequam esse. Age, Pseudo-Constantine, quid tibi ex Bellarmini ore narrauit Abbas ille tuus nescio quis? Quid? Controuersiam in prouincialibus Sociorum comitiis, quæ Claudij Aquauiuæ iussu ille habebat in Galliâ, ex Benedictinæ Regulæ scitis diremisse. Demus hoc vltrò, quid inde conficias rogo, dialecticorum non quidem Alpha, sed Omicron? A Monachis dictatas in Albanetâ Ignatio leges? ridenda stupiditas. At hoc agis. Nequaquam, inquis. Fare igitur, quò tendas? Quid mediteris? expedita, & vindici Benedictino, quod tu cognomen gloriosissimum vt à Constantino iamdiù optatum liuore atque insçitiâ polluis: accommodata responsio. Benedictinarum legum apud omnes religiosas familias amplissimam esse auctoritatem; quippequæ ad illarum amussim suas plerumque exigant. Verum hoc: quis negat? Potuêre, opinor, Prædicatores, potuêre idem quod à Bellarmino factum narras, Minores facere; neque ideò tamen quemquam tecum adeò credam insanire, vt Dominico, aut Francisco dictatas à Monachis leges eas, quibus viri sanctissimi suas constituerunt Respublicas, audeat affirma-

re? quamquam de Francisco nescio quid in illâ virulentissimâ præfatione videam te comminisci. Verùm vt ineptæ ratiocinationis fundamenta penitus subruam, nego vllis vmquam Gallicanis Sociorum comitiis Bellarminum præfuisse, aut interfuisse. Habemus rerum à se gestarum Bellarmini commentarium, in quo, vt de suis virtutibus nihil vir modestissimus scribendum putauerit, ita gestorum in Societate, antequam purpuram indueret, ac deinde in Republica seriem omnem explicatissimè tradit; in eo de Gallicanis comitiis, déque diremptâ controuersiâ mirum silentium, quum tamen longè minutiora in illo posteritati commendare non dubitauerit: habemus à Iacobo Faligatto eximiâ diligentiâ, ac fide summâ Bellarmini vitam, & de Gallicanorum Comitiorum præfecturâ nullum in eâ vestigium; quòd in solo veritatis mendacio pedem figere, vt illud imprimeret, non licuit. Habemus in Romano Tabulario epistolarum omnium, quæ à Præposito Generali ad Socios dantur, exemplaria per annos & Prouincias digesta, & de his comitiis ad Bellarminum à Claudio nulla extat, neque eius ad Claudium, cùm responsiones Sociorum de rebus gestis eâdem diligentiâ seruentur, vt promptuarium olim totius antiquitatis, atque Ordinis historiam scripturis parata materia. Quî ergo fieri potuit, vt res in religioso Ordine tanta, nullis litterarum teneatur vestigiis? Adde temporum ratione ita fabulam in mendacij exilium relegari, vt nullâ in eius parte consistat. Fuit enim ter omnino in Galliâ Bellarminus, & cùm in Belgium penè adolescens profectus est, & cùm post septennium ad nos reuertit, magnus ille quidem iam tunc, sed nondum tantus, cui Comitiorum præfectura crederetur. Neque ille quidquam suis hisce in itineribus gestum narrat, neque alicubi substitisse. Tertiùm in Galliam profectus est, asperrimis illis bellorum temporibus, in comitatu Henrici Caietani Apostolici Legati, à cuius latere numquam discedens Parisiensem cum illo tolerauit obsidionem, atque in Italiam reuenit; cuius itineris rationem omnem diligenter prosequutus Bellarminus in eo, quem laudaui Commentario, Comitiorum nusquam meminit. Verùm de rebus in Galliâ gestis ipsum Bellarminum loquentem audiamus, Constantine, videbis Abbatis auditionem illam, ex Pseudo-Constantini

mendaciorum bulgâ, vt cum antiquis loquar, exenthecatam fuisse. Sic habet.

XXXII. *Ex eiusdem de Gallicanâ commoratione Commentario.*

Anno CIƆIƆLXXXIX. cùm mitteretur Cardinalis Caietanus in Gallias ob motus grauissimos eius Regni, missus est cum eo N. Sixto Quinto Pontifice. In Galliis cœperat esse celebre nomen N. ob libros controuersiarum editos; ideo multi eum videre cupiebant & ipsum frequenter adibant. In itinere Illustrissimus Legatus quærebat ab N. quamdiù putaret superuicturum Pontificem, respondit hoc ipso anno moriturum. Quod sæpe ille confirmauit Parisiis, cùm Cardinalis longæuam vitam eius futuram omnino affirmaret. Cùm esset Cardinalis Legatus cum toto suo comitatu apud Diuionem Burgundiæ, & recedere inde cogitaret, vt Parisios proficisceretur; exiit fama esse in biuio Dominum Tauines cum mille equitibus in insidiis, vt Cardinalem caperet, atque ex comitatu eius aliquos necaret, aliquos caperet, sed exiit simul alia fama hoc totum esse confictum, vt impediretur iter Cardinalis. Igitur Cardinalis, cùm non posset agnoscere veritatem per media humana, celebrato Sacro, cùm essent omnes parati ad iter, secretò coniecit in calicem duas paruulas schedulas, in quarum vnâ scriptum erat Eundum, *in alterâ* Non eundum, *& commendans Deo totum negotium eduxit sorte illam, quæ habebat* non eundum, *& paulò post innotuit verum esse quod dicebatur de insidiis. Parisiis mansimus à vigesimâ die Ianuarij vsque ad initium Septembris, quo tempore nihil ferè egimus, sed multa passi sumus; nam cùm die duodecimâ martij conflixissent Dux Mayenna cum Rege Nauarræ, & Rex victoriam obtinuisset, timor & tremor cecidit super nos, sed Rex nolens perdere, & spoliare tam magnam ciuitatem, maluit per obsidionem illam capere, quàm vi irrumpere. Itaque obsidione eam cinxit, & nos omnes destituti victualibus miserrimè egimus. Nam brodium coctum in olla cum carne canum satis carè vendebatur. Legatus Regis Hispaniæ donauit nobis pro magno munere partem quandam equi sui quem occiderat ad cibum. Nihil ibi N. egit, nisi quòd nomine*

mine Cardinalis Legati scripsit epistolam Latinam ad Episcopos Galliæ dehortans eos à schismate, quoniã narrabatur velle eos cogere Synodum natiolanem, & in eâ creare Patriarcham independentem à Sede Apostolicâ. Et hoc impeditum fuit.

Accidit initio Septembris, vt ferrentur ad Cardinalem litteræ ex Româ, quæ mirum est, quomodo penetrauerint in vrbem vndique clausam, & cùm alij alia dicerent de illis litteris, antequam à Cardinali aperirentur, & ferè omnes mala ominarentur, quia Sixtus Papa infensus erat Cardinali, & Secretario, tunc N. dixit, in his litteris continetur mors Sixti Quinti Pontificis, & cùm omnes eum deriderent, quia nihil de Sixti ægrotatione auditum erat, tamen verum fuit, quod N. affirmauit & mirati sunt vniuersi. Romam N. rediens ægrotauit grauissimè: Moldis, siquidem in ea Ciuitate grassabatur dissentiria quadam lethalis ex quâ qui corripiebantur, vix mortem euadebant; hac dissentiria laborare cæpit N. primâ nocte, & adiuncta erat febris grauissima, & nihil gustare poterat, nec requiescere, Card. substitit vnâ integrâ die, deinde consilium habuit cum suis, quid fieret de N. tandem inspirauit Deus consilium bonum Cardinali, vt non relinqueret N. in eo loco, sed secum duceret quocumque modo posset. Itaque parare fecit lecticam suam, & in ea collocari N. & placuit Deo, vt exeunte N. de Ciuitate illa mox meliùs valere inciperet, & spatio octo dierum iter faciendo iacens vel sedens in lecticâ planè conualesceret. In itinere transiuit per Basileam, sed non est agnitus, vbi verò auditum est ibi fuisse N. ferunt multos ægrè tulisse valde, quòd eum videre non potuissent, an ei nocere, vel eum honorare voluerint, incertum est. Romam peruenit XI. Nouembris.

Hæc de suâ Gallicanâ profectione Bellarminus, in quibus quis Pseudo-Constantinianis illis Comitiis locus esse possit, ego sanè non video. Sed ad Constitutiones reuertamur, & qui hactenus testibus respondimus, quibus iam coniecturis agat, quibúsue argumentis Albanctanam suam hanc muniat institutionem videamus. Et illud quidem vt

XXXIII. *Argumenti à similitudine legum ostenditur vanitas.*

 roboris

roboris inuicti, sibi laborios è toto capite quinto explicandum censuit, quidque similitudinis Ignatiana scita cum Benedictinis habeant, diligenter admodum euoluendum, vt à Monachis Cassinatibus ea excepisse Ignatium, conficeret: quâ in contentione imbecillitatem iudicij luculentissimè prodit; quid enim? pleraque Ignatiana Benedictinis simillima sunt.

Ergóne Monachis dictantibus scripta? quàm ridicula consequuntio: quasi verò de Benedicti legibus Tertullianeum illud vsurpari non possit. Eas in publico mundi pendere? Quem religiosæ vitæ magistrum dabis, Benedicti æuo posteriore qui ab eo, Monachis licèt silentibus, non didicerit? At hoc sáltem dare cogeris; inquis, per Benedictinas leges, vos profecisse. Egóne cogar? vltrò profiteor, & glorior. Verùm vt hominis istius stupiditatem omnes intelligant, patere, Constantine, id à me dicæ caussâ negari; quî vnquam probaturus est? Aio omnia ab antiquioribus magistris Basilio, Pachomio, Cassiano esse decerpta. Nisi eruditis scriberem, possem ire per singula, sed quamuis otio abutendum non sit, pauca libemus, & quàm ridiculè scribat Pseudo-Constantinus tuus, intelliges primo statim in limine disputationis.

XXXIV. *Ridicula duorum Quaternionum collatio exploditur.*

Quid enim ridiculum magis, quàm quia quatuor Monachorum genera nominantur Benedicto; totidémque in classes suos distinguat Ignatius, cum *Pedem pede premere* gloriari, quum longè diuersi sint illi Monachorum, & Sociorum ordines? An putat iste albis se quadrigis triumphare; quia quaterniones istos comparauit? sed quàm diuersos? Ignatius enim in quatuor veluti sui exercitus ordines socios distinxit; Benedictus enumeratis quatuor Monachorum generibus, reiectisque tribus, vnum sequendum sibi constituit. Memini me audire de Alexandro de Angelis Marcum Antonium Muretum quum N. N. (quem honoris caussa non appello) Concionatorem, qui illa ætate regnabat in templis, confertissimâ in concione audiret; illéque vt nondum ad veterem seueritatem reuocatâ id temporis ferebat eloquentiâ, quotquot rerum paria ex diuinis litteris eruscari potuerat, non sine ineptæ multitudinis plausu per ostentationem promtissimâ loquentiâ enumeraret indignatum, quòd hominum patientiâ tàm luculenter abuteretur, ad proximos conuersum dixisse totidem

etiam

etiam narium foramina sunt, & cum dicto abiisse. Ergóne quia quatuor Monachorum Ordines Benedictus enumerat, nec probat; totidémque in classes suos commilitones distribuit Ignatius, illius pedem hîc pede premit? quid dici potuit ineptius?

XXXV. *Similisque assertus Valgraui.*

Ridet huiusmodi argumentandi vanitatem vindex ille nouissimus, qui Thomæ à Kempis opusculum aureum De imitatione Christi valentissimè post alios asseruit contra Valgrauum, qui scribere ausus est: *Vtinam Rosvueidus vel semel legisset Regulam sancti Benedicti.* Quasi verò multa in hac, & in libris illis gemina sint, argumento, vt Valgrauus contendit, validissimo ab homine Benedictino scriptos fuisse libros. Quidni? ait vindex, *Potuisset se diligentiorem exhibere & multa alia, quæ passim in libello præfato inueniuntur, nimirùm, omnia, hac, &, vel, Domine, ad, vt, non, benè, cæteráque id genus quæ plusquam in sexcentum auctoribus habentur, tum concludere. Ergo libellus ille plusquam sexcentorum authorum est. Cogis me ad ista nugalia, &c.* Vides, Constantine, quàm simili leuitate impellatur collator hic Benedictinarum legum & nostrarum, quod vt illustrius appareat, aliquid vlteriùs adhuc videndum est, & nonnullorum collatio excutienda. Quid igitur ais? quæ de tyronum examine, priusquam admittantur præscribit Ignatius, ea ex benedicti Regula cap. LVIII. esse desumpta? At ego, per summam oscitationem id à te scriptum esse contendo; nihílque Ignatianarum interrogationum apud Benedictum haberi; sed ex Regulis Basilij fusiùs disputatis ad nos esse deriuata. Is enim Regula X. *Sic quoque nobis faciendum*, inquit, *est, vt videlicet eorum, qui mansuri nobiscum accedunt, quæ superior vita fuerit, inquiramus*; quibus gemina Ignatij decreta sunt, licèt paulò explicatiora.

XXXVI. *Quæ de tyronibus à Benedicto dicitur accepisse Ignatius, antiquiora illo sunt,*

XXXVII. *Et quæ de bonorum abdicatione,*

Perge porrò, & quæ de bonorum abdicatione sancit Benedictus in medium affer, vt Ignatium iisdem insistentem vestigiis ostendas. At eadem longè ante Benedictum ad memoriam posteritatis impresserant Patres apud Cassianum, quorum ille scita cap. V. de Institutis Renuntiantium sic refert; *Ita nudatur quisque receptus fuerit omni*

pristi-

pristinâ facultate, vt ne ipsum quidem, quo opertus est, indumentum habere permittatur. Imo de hac tota abdicatione luculentissimè disputat Basilius Interrogatione IX. Regularum fusiùs disputatarum; ex quo & Benedictum, & alios illa decerpsisse legentibus palam est.

XXXVIII E. *quæ de candidatis interrogandis vterque sancit,* Sed perge collator. Quid? an ea, quæ interrogari Tyronem vult Ignatius, an ad perferendas Christi Domini caussâ contumelias iniuriásque animo comparatus sit, à Benedicto iubente, vt tyroni omnia aspera, & dura proponantur, didicisse contendis? Falleris; magistrum sequutus est Macarium in Regula, reliqua inter tentamenta tyronum asperorum ac durorum denunciationem enumerantem: sequutus est Basilium Interrogatione X. in hæc verba disserentem: *Cæterùm communis illa est ratio, vnumquemque pertentandi, si illud animaduertatur, nunquid is, de cuius sententia periculum fiat, paratus sit libenter ad omne humilitatis genus descendere, missa omni verecundia; ita videlicet, vt sordidissima quæque artificia suscipere non recuset?*

XXXIX. *Déque illorum domo Hospitali,* Age Pseudo-Constantine, quæ de habendis in hospitio tyronibus per dies aliquot sanxit Ignatius dic, sodes, à Benedicto accepta reris? quid ni? inquies; In cellâ hospitum paucis diebus detineri vult magnus Patriarcha. Verùm quàm vanum hoc est? Eadem Cassianus De Institutis Renunciantium cap. 3. & collatione 5. cap. 7. Eadem Basilius Interrogatione X. ex fusiùs disputatis.

XL. *Et Magistro eligendo.* Iam de Magistro Tironum, quem Benedictus *Seniorem esse vult aptum ad lucrandas animas*, & Ignatius *virum fidelem in rebus spiritualibus sufficienter versatum*; non est quod contendas; aio enim vtrumque à Cassiano didicisse cap. 7. & 10. de T. R. & hunc à Basilio XV. F. D. eadem præcipiente.

XLI. *Obedientiæ Religiosæ leges Benedicto sunt antiquiores.* At, inquit, Pseudo-Constantinus illa ipsa tam exacta parendi ratio, qua vos gloriamini, ipsissima est, quam in suis exigit Benedictus; hoc certè negare non potes. Ego id negem? nondum insanio; sed vide mi homo, Cassianus de T. R. cap. X. Basilius Regularum breuiùs disputatarum cap. XXXVIII. & Constitutionum Monasticarum cap. XXII. eadem præcipiunt exertissimè, ex quibus Benedictum sua irrigasse quis dubitet? Cur igitur & Ignatium ex eodem fonte

fonte labra proluisse non credam? Sed, inquit, conditiones illæ tantopere ab Ignatio laudatæ in obedientia vt fortis, prompta, cum humilitate, & sine excusationibus præstetur, nonne Benedicti exemplo placuerunt? minimè gentium; sed Basilij eadem docentis Constitut. Monast. cap. XXII. & F. D. XXIX. sed Serapionis, apud Cassianum in hæc verba: *Volumus ergo vnum esse super omnes, nec ab eius imperio quidquam sinistrum declinare, sed sicut imperio Domini cum omni lætitia obedire, dicente Apostolo ad Hebr. Obedite Præpositis vestris: &c.* Et paulò post, *His tantis virtutibus firmata obedientia magnopere magnóque studio teneatur.* At Benedictus si quid contra maiorum iussa obijciendum sit, id animo ad imperia capescenda parato, faciendum docet; à qua lege ne latum quidem vnguem discedit Ignatius. Nihil agis, mi homo; præiuit vtrique Basilius F.D. cap. XLVII. At quæ Ignatius suis præcipit ne vllâ omnino re tanquam propriâ vtantur à Benedicto desumpta, quis neget? quis? ego, si libeat, & mecum quicumque nôrunt, eadem à Cassiano præcipi de T. R. cap. XIII. & à Basilio in Regulis B. D. XLV. & alibi; imo à Pachomio Regulæ cap. XL. V. & LXIII.

Sed abiungendum est, Constantine, ne lectorum otio abutamur; reliqua enim omnia eiusdem farinæ sunt, nec tibi viro erudito ignorata. Sed incredibilem Pseudo-Constantini & quadrupede illo, quam in ipso huius disputationis ingressu obseruaui, nihilo minorem oscitationem dissimulare non possum, vt videas, quàm te homo iste indiligentem effingat. Quàm enim fœda est illa ratiocinatio, ne dicam an hallucinatio? ex eo, quòd Benedictus Monasteriis suis bona possidere in communi non vetet, ij démque collegia fulciri æquum censuerit Ignatius, quamuis Domos Professas ad arctissimam adegerit paupertatem, Benedicti placita eidem placuisse conficientis? Quàm inepta imitationis colligendæ ratio ex obedientiâ, quam Ignatius non modò Domorum aut Collegiorum Superioribus, sed *Subordinatis officialibus*, vt in Regulis est, præstari vult, & Benedictus Fratres sibi inuicem præcipit exhibere? quid hîc simili inter vtrumque? cùm altera verissima sit obedientia: altera animi tantùm demissio. Verùm hinc abeuntem reprehendit Pseudo-Constantinus, clamitans ea, quæ de

XLII. *Fœda P. C. argumentantis inscitia.*

G anti

antiquorum Legislatorum placitis disseruimus, sibi olim præmisa, me dissimulasse; quin ab aliis accipere potuisse Ignatium exertissimè professum sese; longè tamen verisimiliùs à Benedicto mutuatum videri. Audio, sed quæ sit huius verisimilitudinis caussa, quæro. Non in omnium manibus Pachomij Regulæ, & Basilij? Non Cassiani monumenta, quibus ille veterum Patrum ac Magistrorum leges, scita, monita, & instituta complexus est? Quid igitur caussæ fuit Ignatio, vt Benedicti Regulam sequeretur, quæ ab instituto Societatis non quidem partibus singulis, sed totius Reipublicæ genio, ac fine, mirum quàm longè diffideat?

XLIII. *Benedictini instituti, & Societatis diuersitas ingens.* Cur enim dissimulauerim, tantam esse ordinem inter vtrumque dissimilitudinem, vt qui eos nouerit, vnum ex alterius scitis coagmentatum: nequidem si figendi genio velit indulgere, sine legentium risu possit affirmare? Benedictinis certa sedes, Monasteriorum adoptio; nobis nusquam firmas sedes esse debere statim initio summarij Institutionum cauetur? de illorum habitu accuratè in Regulà, aut certè legibus; nullum nobis ex regula certum vestis genus: illis non exiguę in publicâ Psalmodiâ opes, nobis Odæum nullum: de prædicatione Diuini verbi tacent illorum leges; ea præcipuus nobis labor: illis præscripta abstinentiæ formula, nobis vniuscuiusque arbitrio permissa: de Academiarum ratione nihil Benedictus; de his pluribus agit Ignatius, nobis absolutissima placuit monarchia; longè diuersa Monachis est forma Reipublicæ: superiores illi in comitiis creant, nobis Præpositus Generalis imponit. Quid potuit diuersum magis fingi, aut excogitari? Quis Vrbi Pisas, Ciuitatem in qua exscribo, similes esse dicat, quòd vt illa Tiberi, hæc Arno interluatur domósque & templa habeat?

Auditum ammissi risum teneatis Amici?

XLIV. *Ac proinde de Albanetanà institutione disserētis vanitas.* Hæc cùm ita se habeant, atque ista, vt à te tradita est, Albanetana tota institutio, illiúsque fama ex vnius Sangrini confabulatione, aut si liberè loquendum est, tuâ ex sublestâ fide proficiscatur, quidni eam Caueæ structor ineluctabilis Milesiis fabulis accenseat? Fecimus & nos Interrogatione XIX. ad Castaldum, nec facti adhuc pœnitet. Cur enim non fabulari illos dicamus, qui contra historia-

rum fidem, amplificatâ vnius Sangrini sermocinatione domesticâ, scribere non erubescunt?

Sed fugerat properantem me perafcta & plena roboris Pseudo-Constantini interrogatio quaerentis *Si mortuam Ignatius Regulam consuluit, cur non & viuam?* Audi, quam iste tibi affingit argumentationem, Constantine, omnium Ordinum leges consuluisse Ignatium docet; non quæro quàm vera narret, sed quàm ineptè colligat, ostendo. Tûne ex illâ inspectione dictatas ab omnium Ordinum hominibus Ignatio Constitutiones fuisse colligeres, Constantine?

Verùm veritati optimè consulturum arbitror me, si quæ de Ignatio Constitutiones scribente ab Orlandino diligenti ac religiosissimo veritatis historico tradita sunt, hîc recitauero; Cùm enim ex antiquissimis Tabularij nostri, maximéque incorruptis primorum Patrum monumentis, non minore fide, quàm elegantiâ descripta sunt, nemo à studio partium alienus vnius quantumuis amplissimi ac nobilissimi Monasterij famam, nullis certis nitentem fundamentis, illis anteferendam putabit. Dabis porrò veniam, Constantine, si paulò longiùs excurret Orlandini narratio; ea enim cùm iucundissima sit, Lectorem vehementi hac nostrâ concertatione defessum recreabit; & cum luculentissimè omnia prosequatur, Pseudo-Constantini audaciam profligabit. Is igitur ad annum superioris seculi L. & conditæ Societatis XI. numero ad oram libri 47. hæc habet. XLV. *Ratio cur plura ex Orlandino afferantur.*

Anni sub exitum iam Romam primæ auctoritatis Patres conuenerant, qui quidem sine procurationum publicarum incommodo possent. Quorum hæc tantum certa sunt nomina. Araozius, Strada, Ouiedus Miro ex Hispania aducti cum Borgia: tum Lainius ex Sicilia reuocatus. Romæ aderant Miona, Frusius, Polancus, cuncti vota quatuor professi, præter Stradam, qui Kalend. Februarij in sequenti anno Romæ professus est. Salmeron paulò serius, verùm ante Patrum discessum adfuit. Simonem expetebat Ignatius maximè, quod quanto maior in Lusitania moles erat rerum, tanto ipse potuerat experimento, vsúque plura deprehendisse: eoque pluris intereat communem Patrum sententiam coram XLVI. *Patres ab Ignatio Romam vocantur.*

G 2 ab

ab illo cognosci, & rationem vitæ, formamque publicæ administrationis, quam ex Romano hausisset fonte, in suam referri Prouinciam. Sed vetuit, Rex ante anni insequentis exordium proficisci.

XLVII. *Congregatis Patribus Beatus Ignatius inspiciendas Constitutiones tradit: vt omnium hominum locorumque generi aptæ essent.*

Igitur ijs quos dixi, ad vrbem congregatis, Constitutiones suas Ignatius primorum auctoritate rogatúque Patrum, & tota vrgente Societate perscriptas, in conuentum retulit, copiamque cum vniuersis, tum singulis eas inspiciendi, perpendendique fecit, vt si quid mutandum, vel addendum, vel inducendum esset, id libere, ac fideliter indicarent. Nam cùm tantum Societati Paulus Pontifex tribuisset, vt in his litteris, quibus Societatis instituta confirmat, eadem auctoritate Constitutiones, & leges, quas ipsa conditas approbasset, eo ipso nullo alio adhibito iudice comprobaret. Ignatius qua erat prudentia, & sanctitate præditus, ne quid in lucem daret, quod non omnium posset subire iudicium, suo ipse iudicio stare, & sua niti prudentia in ijs edendis, vulgandisque nullo modo voluit: sed eas vltro, ac sponte aliorum animaduersioni iudicioque subiecit. Optabat enim tales ab se Constitutiones prodire, quæ congruerent vniuersis: & à quibus nulla regionum, nationumque varietas, nulla morum, naturarumque dissimilitudo posset excipi: haud ignarus, vbi tanta morum nationumque varietas foret, non omnia in omnes aptè cadere, nec omnia omnibus conuenire: crebris autem exceptionibus legum leges ipsas infringi, & suum robur amittere. Cumque Societatis corpus omne vbique gentium, atque terrarum vnius esse velut oris, colorisque perciperet, id erat iis legibus temperandum, quæ omni hominum generi, varietatique sine exceptione congruerent. Itaque prudentissimè vir sanctus fecit, vt antiquiores Patres è variis Prouinceys, atque nationibus conuocaret, quibus cum ea, quæ ab se se essent diuturnis precibus, & commentatione perscripta, atque elucubrata conferret: eorumque demum iudiceys, sententyſque decerneret, id quod esset diuinæ laudi, omnique hominum generi maximè consentaneum.

Nec

XLVIII.

Quam multis, varijs, seueri̧que iudicijs comprobatæ sint Societatis Constitutiones.

Nec modo ijs, qui tum conuenerant, verum etiam alijs postea, qui abfuerant, eas tradidit expendendas, ne præcipuis quispiam desideraretur e Patribus, cuius ille non exquireret in re tam graui iudicium. Lectæ sunt ab omnibus perlibenter summoque studio, nec minore approbatione susceptæ. Sed B. Pater ijs adhuc expoliendis, & corrigendis intentus mutandisque nonnullis, quæ vel à Patribus essent animaduersa, vel dies progrediens admonuisset, non eas ante annum huius seculi tertium, & quinquagesimum promulgandas existimauit. Tum demum eas in Hispaniam, Lusitaniam, & alias aliquot prouincias misit, non vt à suis illæ quidem, veluti iam perfectæ, & omnibus expletæ numeris acciperentur, sed vt quales tandem essent ad actionem reuocatæ, quámque aptæ moribus cuiusque generis, ac nationis vsus ipse quotidianus ostenderet: & quod tanto studio diuturnaque commentatione, tot deliberationibus, ac sacrificiis in eis decretum, & constitutum esset, corroboraret. Ac ne tum quidem vim eas vllam, aut robur vllum habere, nisi ab vniuersa Societate denuò recognitas, probatasque voluit: id quod eius post obitum (vt suo tradetur loco) duo de sexagesimo huius seculi anno, cum ad Præpositi Generalis comitia conuocata est Societas fecit. Tum demum Præposito Lainio renunciato ex eiusdem Societatis decreto vnum in locum congregatæ, rursus excussæ, in manibúsque iactatæ, summa omnium consensione probatæ, & quasi quadam veneratione receptæ sunt. Easdem per idem tempus Pontifex Paulus huius nominis Quartus ab quatuor Cardinalibus examinari iussas, & diu, multumque discussas, tandem saluas, atque integras, quemadmodum, ne verbo quidem immutato restituit. Sed quid mirum eas tanta in admiratione fuisse, cum earum author (vt supra dicebamus) in ijs conficiendis tam apertis significationibus diuinæ mentis, tam crebris, inusitatisque luminibus redundarit? tam matura, diuturnaque deliberatione in ijs elimandis, tot denique grauissimorum Patrum iudicijs consilijsque sit vsus? Conficiendarum porrò ea fuit Ignatij ratio.

XLIX. *Qua ratione vsus B. Ignatius in condendis Constitutionibus.*

Primum omni motu animi, affectuque deposito in statuendis omittendisue quibusque rebus, neutrā propendebat in partem, sed summa æquitate animi totum se in Dei manus potestatemque tradebat. Deinde summo etiam ardore, & contentione poscebat vim, opemq; dispiciendi veri & ex Apostoli præcepto potiora probandi. Tum disputabat ipse secum in vtramque partem, cùm constituendum quippiam aut non constituendum videretur: collectasque vtrinque rationes conferebat inter se se, & suo quamque pondere, momentoque pendebat. Denique quod constitutum, & designatum anima iam habebat, id ad Deum referebat: & in eius velut oculis, conspectuque ponebat, supplex orans, atque obsecrans, vt lumen aliquod præferret menti suæ: vt quod ei placeret maximè, id potissimum ipse decerneret. Post accuratam hanc, exquisitamque deliberationem, quo cuiusque rei constitutio, electioque tot rationum expressa momentis tutior, & aptior esset, omninoque cum Dei sensu, voluntateque congrueret, non continuò vt ratum ac fixum statuebat illud, quò bene affectus animus, & perturbatione iam vacans rationum ferebatur impulsu, sed id sæpius in consilium & deliberationem adducebat, modò nouis excogitandis, afferendisque rationibus, modò allatis, & inuentis denuò ad trutinam reuocandis. Ad extremum quasi nihil egisset, id quod erat ei familiare, in arduis præsertim rebus atque negotiis, totum se precationi omni alio solutus opere, curaque tradebat, & rem diuinam quàm accuratissimè faciebat, vt mentem suam Deus pleniore quodam lumine collustraret, & motum cieret interiorem, quo magis omnia è re diuina, Societatisque decerneret.

L. *In formatam Constitutionem quamque, exemplo magni Leonis imponebat altari à Domino corrigendam.*

Atque vt Sanctissimus Pontifex Leo, cum ad Episcopum Flauianum aduersùs impiam, & detestabilem Eutychetis scribebat hæresim, priusquam aliquò destinaret epistolam (ea est in eius epistolarum volumine ad Flauianum decima, mirifico deinde plausu à Chalcedonensi probata Concilio) scriptam iam, & exaratam altari B. Petri Apostoli, cuius miro studio Pontifex ille tenebatur, imposuit; totos quadraginta dies

preca

precationi ieiunioque continenter intentus, vt chirographum tanti ponderis, quodue grauissimam Ecclesiæ causam continebat, si quid in eo castigandum, & corrigendum esset, Apostolus ipse sua manu corrigeret. Sic Ignatius cum scribendis Constitutionibus operam daret, priusquam de quaque re deliberaret, omninoque decerneret, id quod super eam orando, deliberandoque commentatus esset, calamo exceptum, atque exaratum, imponebat altari, vbi quotidiana sacrificia ritè factitabat (quemadmodum & nos à senioribus audiuimus, & is, qui sacrificanti minister aderat Ioannes Paulus Borellus exposuit) vt scribenti, deliberantique illucesceret Christus vberius: & multiplicato lumine de re quaque secundum maximam Dei gloriam, honoremque statueret.

LI. *Quadraginta dies deliberat B. Ignatius vtrum sacraria Professorum certos redditus habere expediret.*

Quadraginta dies ipsos continuos, vt coniectura de reliquis fiat, in ardenti precatione, deliberationeque consumpsit, vt vnum illud tutò, & sine errore decerneret, liceretne Professorum domibus, quæ totæ liberali hominum misericordia victitant, sacras ædes, vel modicis cum prouentibus possidere, vt haberent saltem vnde necessarios sumptus in instrumentum templi, cæterosque sacros vsus suppeditarent.

LII. *Sensus mirabiles eorum quadraginta dierum.*

Extant etiamnum commentarij quidam, in arcula post eius mortem reperti, in quibus per hos quadraginta dies habitum animæ suæ, variosque sensus manu sua perscripsit diuino sanè instinctu; vt incredibilium propè donorum, quæ largissimè ex immenso Diuinitatis fonte hauriebat, & diligentissimè recondebat, species ad posteros aliqua emanaret. In ijs elucet ad viuum expressa viri sanctitas, admirabilitasque diuinæ liberalitatis in seruum suum, & quanti apud nos ponderis esse oporteat relictas ab eo Constitutiones, ac leges; in ijs se se nobis (quamuis id non ageret) suo quasi penniculo depinxit, vt qualis in precatione siue matutina, siue vespertina, qualis in comparando animo ad rem diuinam, qualis in ipsa re diuina, & secundùm rem diuinam esset in actione gratiarum, nostrum ad exemplum, ac disciplinam intueremur.

mur. Hic luce clarius apparet quanta ei esset cum diuina mente coniunctio, quanta communicatio in expendendis, ac pertractandis singulis fermè Constitutionum locis, quanta vis lacrymarum, quantus imber, quàm affluens, quamque redundans diuinarum suauitatum copia: quam cùm humani pectoris angustiæ non satis caperent, erumpebat frequenter in corpus, magno eius sæpe languore, magnoque labore: vt in ipsa sacrificatione nonnumquam interclusa voce, cum facultas liberè respirandi non esset, proloqui omnino verbum, ac pronunciare non posset, quoad tanta illa diuinæ dulcedinis copia vbertasque remitteret. Interdum fiebat, vt preces inter, & sacrificia tantis ardoribus æstuaret; vt omnes partes corporis exardescerent, venæque omnes manifesta cordis palpitatione micarent: interdum verò etiam pilus capitis inhorresceret. In ijs inquam, commentarijs cerni licet, (quod dudum dicebamus) quam crebris, quamque perpetuis à Deo splendoribus mens eius illustraretur, dum eius pectori mens illa ipsa diuina, cum eo se se admirabili quadam ratione, & incredibili iucunditate communicat. Cuius illapsu, communicationeque plurimæ in eius animo, maximæque notitiæ de Dei natura, & Personarum Trinitate fiebant; vt etiam earum processiones, proprietates, operationes, & ea, quæ percipi ab homine sine doctrinæ præsidio, & disciplina non possunt, ei sine magistro, vel studio, siue impressis earum rerum in eius mente notionibus, siue etiam visis obiectis extrinsecus patefierent. Quæ tot tantæque notitiæ cum incredibili iucunditate coniunctæ, non ad exigui temporis fructum, sed ad dies sæpe complures hærere eius pectori consueuerant; vt quocumque ingrederetur, eæ comites sequerentur: cum eoque siue in cubiculo, siue in cœnatione, siue apud suos, siue apud alienos semper habitarent, & quodammodo pernoctarent: quarum æstu, magnitudineque sic absorbebatur, & à se ipse peregrinabatur interdum, vt similis esset homini, qui corpore terras coleret, mente cœlum.

Et quidem vt piis aliquorum studiis satisfaciam, quos non dubito quin auiditas ceperit eorum commentariorum specimen degustandi (quamquam perdifficile est cõseruare spiritum eorum latina lingua) interseram quàm fidelissimè, quid altero, & vigesimo die notarit. Sabbato, inquit, quintum sacrum de Trinitate. In precatione consueta, cum initio non multum adesset, post dimidium sat multum præsto fuit pietatis, iucunditatisque animæ cum aliquo obiectu, & specie lucidæ claritatis. Dum altare componitur occurrente menti LIII.

Exemplar sensus diei vigesimi secunda.

LIV.

Quid maxime impulerit B. Patrem ad perfectam paupertatem in Societate decernendam.

IESV, motus ad eum sequendum: cum penitus existimarem quod ipse sit Dux, Caputque Societatis; id esse omnium argumentum maximum, cur paupertas, & nuditas summa esset assumenda: quamquam aliæ quoque rationes, quas in electionibus adhibueram, eodem spectabant. Atque hæc cogitatio commouebat me ad pietatem, & lacrymas, atque etiam ad constantiam, vt quamuis in Sacro huius diei, vel in aliis non affluerent lacrymæ, videretur hic sensus fore satis tentationum, & molestiarum tempore ad constantiam obtinendam. Inter has cogitationes cum progrederer, & sacras vestes induerem, crescebat pius sensus, & videbatur hæc planè esse confirmatio decreti, quamuis aliæ consolationes abessent: & videbatur confirmatio esse quodammodo à sanctissima Trinitate (Hoc enim B. Pater cupiebat: adesse sibi potissimum ab augustissima Trinitate sensum aliquem vnde intelligeret accepta illi esse, quæ ipse de paupertate decreuerat) cùm ita se communicaret filius: quia recordabar eius temporis, quo Pater me ad filium collocauit. Post indutas sacras vestes, cum se mihi magis, magisque nomen IESV imprimeret, & ita ego essem corroboratus, & confirmatus in omnem euentum, erumpebat noua vis lacrymarum, atque singultuum. Sacrum iam ingresso multum comitabatur gratiæ, ac pij sensus cum quietâ, longaque lacrymatione. In processu varij adfuere motus in decreti confirmationem. Cumque diuinum Sacramentum sustinerem manibus, subijt internum colloquium & commotio vehemens numquam Dominum deseren-

di quicquid se obyceret, superfundente se noua dulcedine spiritus, ac nouis motibus. Permansitque sensus ille ingens cum impulsu ad lacrymas etiam post Sacrum; totoque die, quoties subiret I E S V memoria recurrebat menti deuotio, & confirmatio. Huius potissimùm diei placuit sensus adscribere, quamuis in aliys admirabiliora legantur dona luminum cælestium, atque suauitatum, quod hic clarius explicatur, quid maximè ad perfectam paupertatem beatissimum virum impulerit. Nec fraudabo piorum mentes cogitatione pulcherrima, quam die quinto, & trigesimo adnotauit.

LV.

Mira B. Ignatij erga Deum charitas.

Venerat illi in mentem certo die finem sacrificiis imponere, quæ super hac de paupertate deliberatione faciebat: deinde considerans, non ita definitè agendum cum Deo. Cum me abycerem, inquit, nec æquum existimarem præscribi à me certum tempus; sed vt me penitus, omninoque subiicerem, & ibi desinerem, vbi placeret summæ bonitati se mihi indicare: Subiit cogitatio quid si Deus me ipsa in gehenna collocaret? Hic verò, inquit, duo mihi offerebantur, ex vna parte cruciatus, quos eo loco perferrem, ex altera maledicta in Deum, quæ audirem. In priore non poteram mihi dolorem repræsentare, neque iis cruciatibus commoueri: atque ita videbatur mihi multò acerbius fore in sanctissimum Dei nomen audire blasphemias. Sic B. Pater affectus Constitutiones suas edolabat, atque his maximè studiis, atque præsidiis, cum eas scriberet, vtebatur. Nullus enim apud eum tum librorum apparatus, nullus codex præter Missarum volumen. Studium eius precatio erat: bibliotheca perennis cum diuina mente congressus.

LVI.

Lainij sententia, Deus Religionum fundatoribus reuelat grauissima quæque sui Ordinis.

Et quidem in suis Constitutionibus ea sæpe tradit, vt non ab ipso inuenta, sed à Deo videantur pene dictata. Rogauit is Lainium cum Constitutiones scriberet (à quo non ignorabat Sanctorum vitas, & eorum, qui Religiosas aliquando familias, disciplinasque fundarunt, studiosè peruolutatas) censerétne diuinitus earum authoribus omnia, quæ ad instituta cuiusque familiæ pertinent, indicata, an præcipua potius

tius aliqua, & grauiora dumtaxat, relictis cæteris non tam intimis, nec tam grauibus Patriarcharum, Fundatorumque prudentiæ, cui Lainius sibi videri dixit, Deum Optimum, Maximum, vt primum Familiarum omnium procreatorem, atque parentem, quos ad eas excitandas tamquam administros, & famulos delegisset: ijs grauissima quæque, & cuique disciplinæ intima præmonstrasse. Nam cum Religiosorum Ordinum institutio non hominum sit inuentum, sed Dei, qui quidem proprium quendam ab vnoquoque Ordine, cultum ac famulatum exigit, relinquitur, vt is etiam hominibus præsignificet, atque præmonstret, quæ ab quoque obseruari, curarique velit: vt quò sua homines coniectura, ac suspicione non possunt, illuc Dei admonitu, significationeque perueniant. Cætera verò, quæ non tam vim, naturamque cuiusque Ordinis, quàm adiuncta quædam, & quasi circumstantias attingunt, eademque pro varietate temporum, ac locorum variari, mutarique possunt, ea putabat Fundatorum permitti iudicio, atque prudentiæ; quemadmodum in Ecclesia Catholica animaduerti licet, in qua regenda, ac temperanda multa huiusmodi Deus suorum ministrorum Vicariorumque prudentiæ libera, atque integra esse voluit: cum tamen ea, quæ sunt præcipua, iam tum ab initio suis Apostolis & primis illis Ecclesiæ Pastoribus indicarit.

Hæc censuit Lainius, cui & se subscribens Ignatius: sic, inquit, & ego sentio. Quo quidem ex responso non obscura coniectura ducitur, ei quoque indicata fuisse de Cœlo, quæ ad intimam huius instituti rationem naturamque pertinent, & quæ sunt quodammodo nerui, ac fundamenta huius, quam sequimur disciplinæ. Atque hinc superiorem B. Patris interrogationem ortam, quasi dubitantis, & ambigentis, liceretne sibi quippiam aliud, quod tùm forsitan in mentem venerat, haud ita tamen suæ disciplinæ, intimum, ac præcipuum, Deo non indicante, decernere. Quod ipsum eiusdem ex ore planius cum vnà cum Ludouico Consaluio (cuius aliàs facta est mentio) de Societate dissereret, intellectum est. Nam LVII. *Idem probat B. Ignatius vnde intelligitur, etiam illi essentialia, vt vocant, Societatis reuelata, qui omnia etiam tribuebat Manresano secessui.*

cum multa & varia inter sese de huius vitæ rationibus, institutisque conferrent, præsertim illa, cur Societas communem cum cæteris Clericis, aut non admodum dissimilem cultum corporis adhiberet; cur publicè in templis choris alternantibus, vt cæteri Ordines, ipsa quoque non psalleret, cur ad exploranda, ad periclitanda ingenia, moresque tyronum pedestria imperaret itinera nullo adiuncto viatico, sed prece humili corrogato; cur præter Professorum, Tyronumque domicilia, Collegia insuper, & studiorum sedes haberet, cum hæc, inquam, & alia huiusmodi inter sese communicarent, eorumque singillatim rationes Ignatius redderet, ad extremum rationum omnium summam ad vnum illum retulit Manresæ secessum; in quo perspicuas horum omnium, & aliorum à Deo impressas, & quasi consignatas in animo suo notiones, & intelligentias acceperat. His igitur testatas indiciis Constitutiones nostras habemus, vt planè appareat quid sentiendum sit de eo, si quis existat, qui tot diuinis significationibus & admonitionibus editas leges, tot sacrificiorum procurationibus, precationibus, lacrymis constitutas, tam diuturni temporis apparatu confectas, tot vigiliis elucubratas, tot grauissimorum Patrum iudiciis, consiliis, deliberationibus agitatas, tanto denique Societatis vniuersæ consensu, approbatione, periclitatione, vsuque receptas, aut paruipendat, aut negligat. Prauis mentibus nihil vmquam rectum, obliqua sunt omnia, dum ad rectam normam regulamque se ipsæ non dirigunt. Constitutionum induat spiritum, & sanctitatem oportet, qui de earum dijudicare præstantia, & sanctitate velit.

LVIII. *Quid huius narrationis sit consequens.* Hactenus Orlandinum audiendo operæ pretium factum arbitror; nam aut illum fabulatorem nugacissimum fuisse opportet (quod ne ipsa quidem dicere ausit calumnia) qui tot, & tanta de conditione Constitutionum commentus fuerit, quum illas sibi à tribus Monachis dictatas anno XXXVII. secum ex Albanetâ digrediens detulerit Ignatius; aut tota illa Albanetana institutio in spongiam incumbat, necesse est.

Id

Id verò si nondum Pseudo-Constantino persuasimus, cui fortasse nulla est Orlandini auctoritas, tibi certè, bonisque omnibus luculenter probatum esse non abnues, Constantine. Cæterùm ad profligandam caussam, inuidique fabulatoris audaciam infringendam, testem vnum adhuc dare non grauabor, quem mendacij non ipsa acuset impietas. Quis enim nisi planissimè perditus, Ignatium in ipso Constitutionum procemio mentitum esse suspicetur? At si Albanetana illa dictatura quidquam habet probabilitatis fœdè præuaricatur Ignatius. Quid? Nonne, si Pseudo-Constantino credimus, ex Monte Casinati, acceptis à Monachorum triumuiratu legibus, alter veluti Moyses descendit Ignatius? Non id anno XXXVII. superioris seculi, nondum conditâ Societate factum docetur? At Ignatius longè aliter præfatur, seque iubente Pontifice Constitutiones scripsisse testatur, quem de condendâ familiâ eo certè anno non appellauerat cùm ex omnium annalium fide anno demum XXXVIII. exeunte fecerit; sed audiendus Ignatius quem te venerari, Constantine, certissimum est; nam Pseudo-Constantini impietati non ego magnopere fidendum censeo. Sic igitur Constitutionum Procemium orditur Ignatius. LIX. *S. Ignatij testimonium.*

Quamuis summa sapientia, & bonitas Dei Creatoris nostri ac Domini sit, quæ conseruatura est, gubernatura, atque promotura in suo sancto seruitio hanc minimam Societatem Iesu, vt ea dignata est inchoare, ex parte verò nostra interna charitatis, & amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus comprimere solet potius quàm vllæ externæ Constitutiones ad id adiutura sit; quia tamen suauis dipositio diuinæ Prouidentiæ suarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Christi D. N. Vicarius ita statuit, & Sanctorum exempla, & ratio ipsa nos ita docet in Domino, necessarium esse arbitramur Constitutiones conscribi, quæ iuuent ad melius in viâ inceptâ diuini obsequij procedendum, iuxta instituti nostri rationem. LX. *Ex Procemio Constitutionum.*

Hæccine scriberet Ignatius, si constitutiones in Albanetâ Sangriniano ab oraculo duos minimum ante annos accepisset? Si legislator ex Casinati Romam reuenisset? LXI. *Albanetanum institutionem funditus euertit.*

Si de scriptis antequam Pontificio oraculo condita fuisset Societas, præfaretur? quàm proiectè mentitus esset? Tune, Ignati, dicet Pseudo-Constantinus, quasi de nouis legibus à te ferendis loqueris, cùm eas à Monachis biennio ante dictatas ex Albanetâ detuleris? Certè magnificus hic legum tuarum ingressus à mea illa Sangriniana narratione longissimè abit diuersus, vt propterea, aut illo palpum legentibus obtrudi, aut me impudenter mentiri, sit consequens. Si hæc Pseudo Constantinus verè dicat, tu, Constantine, cui me credere iubeas? Contraria Ignatium, & Pseudo-Constantinum scribere manifesta res est; neque enim vtriusque dicta componi possunt, & ambigendum adhuc est, istum mentiri? Ignatius, se iubente Pontifice ad scribendum aggredi profitetur; Pseudo-Constantinus biennio antequam id iubere posset Pontifex, scripsisse tradit, neque enim leges ab eo homine pro nouâ familiâ condi iubere poterat, de qua nihil adhuc audierat Pontifex, cui fides habenda? Ignatius progressionum inceptâ iam viâ meminit; Pseudo-Constantinus scriptas asserit, antequàm de viâ illâ ineundâ cum sociis deliberasset Ignatius, nam anno XXXVIII. deliberauit, XXXVII. in Albaneta fuit, quis falli, aut fallere dicendus est? Profectò miseret me hominis adeo oscitanter mentientis, doleóque vehementer, hæc tuo nomine legi, quem, vt veritatis vindicem in conferendis veterum monumentis diligentissimum esse oporteat, ne dum antiquitatis vindex audit, antiquatæ veritatis reus fias.

INEPTIA



INEPTIA QVINTA.

De Votis simplicibus.



REDASNE, Constantine, hominem, qui nomen suum inter eruditos profiteri non erubescat, de votis quæ Simplicia dicimus, scholasticorum Societatis adeo ineptè disputare, vt insanabilem nomini tuo ineruditionis, atque inscitiæ plagam impoiuerit? Mitto liuorem, indiligentiámque Ribadenerianæ accusationis, de qua in loco videbimus quanta fuit oscitatio, eorum votorum imitationem à Donatis Benedictinis velle repetere, quum ea vel noua, & Domi nostræ nata in Rempublicam, inuecta sit vouendi ratio; vel, si altiùs repetenda videatur, ad antiquissimam Augustini, atque adeo primi Monachorum Legislatoris Basilij ætatem*, consuetudinémque sit reuocanda? Lege si otium est, Constantine, disputationem illam cap. VII. Pseudo-Constantini, stomachum non tenebis. I. *P. C. de Votis simplicibus disputantis indiligentia.* *Pag. 87.*

II. Quid? an Donati illi, de quibus Congregationes Hispanicæ etiam agunt, religiosum dicebant Sacramentum? Id ego enimuero nego, & mecum pernegat vir benè doctus Bartholomæus à sancto Fausto in ijs libris, quos Thesaurum Religionum appellauit, exertissimè docens Donatos, Oblatos, Commissosque illos vt vocare lubet, huiusmodi votis tantùm adigi *vt inseruiant verè, ac propriè religiosis, sed Religiosos ipsos non esse.* *Donatos Hispanienses veros religiosos olim non fuisse demonstratur, Auctoritate,* Lib. 5. quæst. 7.

III. Sed quid ego aliorum auctoritate ago? suámet inscientiâ Pseudo Constantinum, teneri aio. Quid? *Nonne propter illorum stabilitatem actum fuisse cum Pontifice*, docet, vt solemni sacramento adigerentur? planissimè. Atque vnquam sine stabilitate religio fuit? quod vnquam votum religiosum hominem (vt nunc loquimur) fecit, quod siue eius hæc sit natura, siue donationi, quam secum trahit, debeatur, stabilitatem vouenti non afferat immutabilem? *Et ratione.*

ſolemnitas illa non vouenti ſtabilitatem affert, ſed Reipublicæ facultatem, poteſtatémque exautorandi adimit, quod à votorum ſtabilitate quàm diuerſum eſt? Id-ne poſſent, quod Reipublicæ longè ſaluberrimum eſt, Congregationes Hiſpanicas Pontifici ſupplicaſſe, cuiquam perſuadeat Pſeudo-Conſtantinus? Cur Pontificum reſponſa non attulit, ex quibus res liquidò poſſet explicari?

IV. *Probatio à priuilegys rejicitur.*

At, inquis, *priuilegio Eugenij IV. Indulgentiis, cæteriſq; immunitatibus ſicut cæteri Monachi pleniſsimè gaudent.* Hoccine eſt Religioſum eſſe, indulgentiis, atque immunitatibus gaudere? At gaudent pleriſque tyrones quos nemo Religioſos dicet? at, qui ſeculares Religioſis in domibus domeſticam operam addicunt, Pontificiæ huius liberalitatis particulâ reſperguntur, vt proinde vaniſſimam Pſeudo-Conſtantini, hominis ſcilicet peracuti, argumentationem eſſe, nemo non intelligat. Verùm vt locum hunc luculentiùs pertractemus, lubétne, Conſtantine, aliqua ex doctiſſimi viri Baſilij Legionenſis diſputatione non quidem recitare, ſed ſumere (quorum nonnulla, priuſquam illum videremus, nobis erant obſeruata) vt ea more, modóque noſtro dicamus, ex quibus oſcitationis non ferendæ Pſeudo-Cònſtantinum poſſis accuſare?

V. *Vota ſimplicia, & religioſa Oblatis antiquiora fuiſſe, aut omninonoua,*

Aut enim ea votorum ſimplicium, & tamen Religioſorum, ratio tota Ignatij inuentum eſt; aut ſi ab aliis accepit non ab Oblatis, Donatíſue neſcio quibus, ſed ab antiquiſſimis, & ipſo Benedicto vetuſtioribus, magiſtris didicit, quod prædicendum fuit, vt orationi vtramque in partem diſputanti claritas maior accederet.

VI. *Ob eamque rem à viris doctis impugnata fuère.*

Principio igitur aio, eam votorum ſimplicium, quibus tamen Religioſi verè conſtituantur, rationem omnem ita nouam viris aliquibus, cætera doctiſſimis, viſam fuiſſe, vt ad eam conuellendam nullum non lapidem mouerint; ac pertinaciùs etiam, quàm debita Romanæ Sedi reuerentia ferret, acriúſque pertenderint; ob eámque rem grauiſſimis, ac minacibus Gregorij XIII. litteris ſemel fuerint, iterumque caſtigandi.

VII. *Cuius conſequens eſt à Benedictinis Oblatis vſurpata non fuiſſe.*

Quis autem credat, in tam acri concertatione virorum longè doctiſſimorum, neminem vnum fuiſſe, qui Donatos hoſce Pſeudo Conſtantinianos noſſet, quorum exemplo, & nobiliſſimi Ordinis auctoritate, quæ plurima ſanè eſt, res illicò componi potuit? Quid enim in Societate

tàm

tàm acerbè carperent, vt nouum, quod sanctissimus, atque idem antiquissimus Ordo, iàm palàm vsurparet? Quid? Pontifex in illis geminis bullatis diplomatibus, quibus res nostras mirificè stabiliuit, exemplum illustrissimi Ordinis omisisset? rem nouam rationibus, non exemplis comprobasset? Hoccine ignorassent Magni Aquinatis discipuli, quibus ea nouitas ex Magistri doctrinâ de solemnitate votorum Religiosorum, & secundùm veterem suæ ætatis morem disputantis, maximè suspecta erat? Ignorassent nostri homines, quorum res agebatur, vt cùm vndique suæ causæ firmamenta conquirerent; hoc tàm nobile Benedictini nominis exemplum ineptâ vecordia dissimularent? Quis hoc credat, Constantine, nisi Pseudo-Constantinus ille, qui in grauissimâ causâ leuissimè versatur? Si exemplis agendum fuisset, longè antiquioribus vti potuisse opinatur Legionensis, quorum cùm nullum superesset in Republicâ vestigium, ideo vt obsoleti moris ab illis dissimulata crediderim; nam cùm viri essent longè doctissimi, atque in veterum Patrum monumentis diu, multúmque versati, ab illis non fuisse animaduersa, dicere non ausim.

VIII. *Repeti tamen illorum origo potest tum ab ipso Benedicto.*

Quid enim? an non vt à Benedicto ipso eiúsque Monachis, non Oblatis, ordiamur, nónne is Regulæ cap. LVIII. exertissimè iubet, vestes quas, cùm Deo nomen darent Monachi, secum attulerant, diligenter asseruari, ne, si constantia illos defecerit, Religioso in habitu dimittantur? Idne ignorat Pseudo-Constantinus, qui Monachum se, & vindicem Benedictini nominis haberi vult? Recitetur Benedicti lex ea Regulæ cap. LVIII. *Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda, vt si aliquando suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus Monasterij proijciatur.* Hucusque lex, quam de tyronibus latam, ne quis muginetur, ipsius prima non patitur pars, & promissio illa, quam ei reddi vetat Benedictus in hæc verba. *Illam tamen petitionem eius quam desuper Altare Abbas tulit, non recipiat, sed in Monasterio reseruetur.* Eam verò petitionem religiosi sacramenti chyrographum fuisse, si quis Benedicti locum legerit, non dubitabit. Probatum autem integro à petitione anno tyronem exui antiquis ve-

ſtibus lex mandat. Quamquam verò hæc duo *aduiſamenta* vt loquitur Ioannes à Turrecremata Cardinalis, in commentario, plana ſint, ea nihilominus Smaragdus Abbas veterum Monachorum inſtitutis, recitatâ Ioannis Caſſiani ex lib. IV. cap. VI. de Inſtitutis Renunciantium, & Anonymi Magiſtri ſpiritualis ſententiâ, ſibi putauit eſſe confirmanda. Quæ cùm ita ſint dimitti aliquos poſt dictum Sacramentum Monaſticæ militiæ, atque exautorari, exploratiſſimum eſt.

IX. *Siuſque facta.* Sed quid legibus agimus, cùm factis nobiliſſimis poſſimus? Monachum fuiſſe, qui pertæſus diſciplinæ Benedicti miſſionem diu petierit, ac demum impetrauerit, ſcribit magnus Gregorius Dialogorum libro IV. cap. XXV. Is, cùm abiret obiecto irruentis in ſe Draconis ſpectro perterritus, Monachos (non enim longè diſceſſerat) inclamans, rediit, neque ampliùs perſeuerantiæ eguit. Porro eum tyrocinium iam depoſuiſſe, cùm abeundi commeatum extorſit, rurſúmque ſacramento adactum in Benedicti leges Gregorij verba, ſi quis illorum vim expendat, manifeſtè deprehendit. Recitentur.

Quidam autem eius Monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monaſterio nolebat. Cumque eum vir Dei aſſiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipſe verò nullo modo conſentiret in congregatione perſiſtere, atque importunis precibus, vt relaxaretur innueret; quadam die idem venerabilis Pater, nimietatis eius tædio affectus, iratus iuſſit, vt diſcederet. Qui mox vt Monaſterium exiit, contra ſe aſſiſtere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipſe tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, ſuccurrite: quia draco iſte me deuorare vult. Currentes autem Fratres draconem minimè viderunt, ſed trementem atque palpitantem Monachum ad Monaſterium reduxerunt. Qui ſtatim promiſit numquam ſe eſſe à Monaſterio receſſurum, atque ex horâ eadem in ſuâ promiſſione permanſit. Quippe qui ſancti viri orationibus contra ſe aſſiſtere draconem viderat, quem prius non videndo ſequebatur.

Vidéſne

Vidésne, Constantine, *relaxari* illum fuisse necesse, quam vocem, vbi vincula nulla sint, quis unquam vsurpauit? Vidésne, illum statim promittere, nunquam se esse à Monasterio recessurum; Quid hoc aliud est, quàm nouum Sacramentum dicere? Nam primò *relaxatus* non amplius tenebatur.

Benedicto adhuc longè antiquior est Augustinus, cuius in legibus Religiosis ferendis tanta olim fuit auctoritas, vt eas clarissimi Ordinum conditores sequi non dubitauerint. Is igitur doctissimus Antistes, & totius Religiosę vitæ, quam condiderat, intelligentissimus; quamquam aduersus eos, qui cum illo *tolerare vitam non poterant, atque extra Episcopatum manere, ac de proprio viuere volebant*, quod sciret, *quid mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. Vouete* (inquit) *& reddite Domino Deo vestro*, Et *melius est non vouere, quàm vouere, & non reddere*, quamuis, inquam, contra desertores in seueritatem pronior; nihilo tamen minus imbecillitati humanæ aliquid concedendum ratus, & quod plerique ita sentirent, atque apud Episcopos desertorum causam agerent, mitiora consilia sequutus, ita illis abire permisit, vt Clericatu non moueret, suásque res agere, liberum illis esse permitteret. Sic de suis Clericis Regularibus, quos Religiosos fuisse comperta res est, sermone primo de communi Clericorum vita, loquitur Augustinus. *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Ecclesia Dei, maneant vbi volunt, & vbi possunt, non eis aufero clericatum*: quâ tamen indulgentiâ, ne passim abuterentur homines, quibus iam vilior esset sanctitas disciplinæ, diuinum interminatur iudicium, & grauissimis quidem his verbis. *Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, à professione sanctâ cadit, expectet Deum iudicem, non me.* Vidésne, Pseudo-Constantine, illos qui votis Religiosis essent adstricti, exauctoratos res suas sibi habuisse? Vidésne, cum aliquo damnationis periculo, quod ab illa animi leuitate vix abesse potest, egisse; non tamen pro damnatis, perditísque haberi? Vidésne nostrorum, qui liberi dimittuntur, eandem

X. *Tum ab Augustino.*

omnino causam esse.

XI. *Et ambobus antiquiore Basilio.* Sed lubet ab ipso vsque Basilio Magno, cuius antiquissimæ leges sunt, morem istum arcessere. Age Pseudo-Constantinum ego iubeo (nam tibi hæc non ignorari, homini scilicet in Monachorum institutis L. amplius annos versato, verosimile admodum est) Basilij Regulas fusiùs breuiúsque disputatas legere, in quibus dimissionis, ac discessionis bona cum Præsulum veniâ, tàm frequentem mentionem inueniet, vt loca ea omnia hìc recitare pigeat, intento veluti digito indicasse mihi sat erit. Legat igitur Regularum fusiùs disputatarum interrogationem XXVIII. XXIX. & XLVII. ex breuioribus verò LVII. LXI. CII. & CLV. ex quibus CII. quoniam dilucidè loquitur, recitanda omnino est. Interrogat igitur Basilius in hæc verba. *Numquid, qui è fratrum conuentu egreditur, quacumque de caussa, leui admonitione retinendus sit, & si retinendus, aduersus quos hæc seruari conueniat?* Respondet verò in hæc. *Cum Dominus dixerit, eum qui venit ad me non eyciam foras: Itemque non est opus valentibus medico, sed malè habentibus, & alio in loco: Quis ex vobis habens centum oues, si errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem, & vadit, & quærit eam quæ errauit, donec inueniat? omni ratione curari debet, qui infirmus est, dandaque studiosè opera, vt deartuatum (vt ita dicam) membrum in locum suum restituatur. Quod si in vitio (cuiuscumque tandem generis illud sit) perseueret, dimittendus est, tanquam alienus: scriptum est enim: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus eradicabitur: sinite illos, cæci sunt.* Hactenus Basilius. Et cæcus verè sit Pseudo-Constantinus, si in his Basilianis, moris nostri, ac Missionis originem non aduertat? Quid enim aliud nos facimus, quàm dimittere vt alienos, quos huic disciplinæ minus aptos experimento comperimus? Quî autem dimittebant veteres illi, vt alienum, si non soluebant sacramento? Ex his igitur, non ex Oblatis nescio quibus, quos religiosos fuisse Kalendis scilicet Græcis probaturus est Pseudo-Constantinus, votorum simplicium, & tamen Religiosorum, mos repetendus est; nouitati antiquitatem circundare si cui studium est, & voluptas.

Non mihi latet pleraque ex istis, quæ à Legionensi accepimus, non vsque adeo valida esse, vt elidi non possint. Scio Smaragdi Abbatis doctissimi legum Benedictinarum interpretis sententiam, *Petitionem illam, quam Abbas de Altari tulit*, ideo abeunti non reddi, vt reuocari, vel inuitus ad Monasterium possit, quamquam enim & alias eius retinendæ Petitionis comminisci causas possimus; hanc tamen si admittimus, liberum illum dimitti, solutúmque dicere, non possumus. XII. *Quamuis probationes ineluctabiles non sint ex legibus Benedicti.*

Scio Augustini iudicio Dei à discessione absterrentis, seueritate ita illos qui abierant percelli, vt vix à crimine vindicari posse videantur. Quid enim si omni culpâ vacabant *Iudicem Deum expectarent?* Video quæ ex Basilio petuntur in contumaces, quorum nulla sit spes emendationis detorqueri posse, quorum cum nostris, qui dimittuntur, communis profectò caussa non est. Quamquam verò hæc ipsa refelli adhuc possint, non est tamen animus diutiùs immorari, quum satis supérque de Pseudo-Constantini vanitate dictum sit, Oblatorúmque inepta prorsus detecta, & profligata ostentatio. XIII. *Vt nec etiam ex Augustinianis.*



ZACHARIÆ PASQVALIGI
DE
QVINTO SIMPLICI VOTO
Professorum Societatis IESV,

Decisionibus suis CCLXXIX, & CCLXXX disputantis sententia, vt summorum Pontificum Decretis contraria, S. Ignatio iniuria, & summis Theologis aduersa, & nullâ auctoritate, leuibusque rationibus subnixa, eáque propter aberrans reiicitur.

I. *Cur hæc disputatio instituatur.*



ERVM quando in hanc de votis Societatis disputationem ingressi sumus, veniam à te, Constantine, posco, vt breui diuerticulo cum Zacharia Pasqualigo Clerico Regulari leniùs congrediar, ab eóque petam, ne mihi velit irasci, si contra ipsum hanc suscipio disputationem; meminerit modò se grande aliquid designasse, quum ex iis, quæ in Societate sanctissimi Legislatoris Ignatij legibus sancita, magnorúmque Theologorum consensione seculum iam integrum probata, atque vsurpata, &, quod

quod caput est, summorum Pontificum sanctissimis decretis munita sunt, conuellere aliquid conatus sit. Id ille vt faciat, totis connititur viribus, duásque reliquas inter, operi egregio destinat, Decisiones C C L X X I X. & CCLXXX. in quibus de voto simplici, cuius sponsione se Deo obligant Professi nostri, si quando imperio Pontificis adacti Præsules fiant, audituros se, quæ Præpositus Generalis Societatis vel per se, vel per alios dare voluerit consilia, & si meliora suis cogitatis visa fuerint, secuturos. Votum hoc Decisionum Auctor censoria auctoritate tribu mouet, ac pro sua lubentia, vt illicitum, accusat. Cuius dicti consequens est, sacrilegum esse, eadémque consequutionis lege quotquot illius Religione se obligant, nisi crassa admodum ignorantia excusentur, quam ipse præclara sua decisione discussit sacra esse capita. Sic enim Decisione CC.LXXIX. num. 4. loquitur in Summario, *Hoc votum PP. Societatis est de eo, quod non licet vouenti.* Rursum numero 8. sic definit. *Hoc votum dat Generali Societatis non solùm supra Episcopum, sed etiam supra Ecclesiam auctoritatem,* & numero 11. *Votum audiendi consilia Generalis est præiudiciale statui Episcopali.* Atrox hæc censura, & plusquam Catonianum hoc supercilium est aduersus ea, quæ vir sanctus excogitauit, magni Theologi probarunt, & ab Ecclesia honestissimis atque amplissimis decretis stabilita sunt..

II. *Pasqualigi censura in votum Societatis.*

Potuit

III. *Contra S. Ignatij auctoritatem.*

Potuit Ignatij nomen inter Sanctos iam relati, quemlibet absterrere; ne illi tàm luculenta stigmata impietatis inureret. Quid enim impium magis, quàm suos omnes ad illud votum adigere, quod illicitum sit? quàm per Religionis sacerrimam laruam Episcopos sibi subiicere? quàm eorumdem dignitati, atque libertati officere? At hæc omnia, si Deo placet, Pasqualigo quidem iudice, quum id voti præscriberet, designauit Ignatius, quem si vt hominem litterarum rudem (sed illum Paulus III. aliíque Pontifices suis in diplomatibus, & Magistrum in artibus, & in Theologicis diu, multúmque versatum appellant) sibi non tam excusandum, quàm traducendum putet; eamdem impietatem illis omnibus impingit, qui Constitutiones in Congregationibus Generalibus adprobarunt, quos inter Laynium, & Salmeronem probatissimos Tridentinis Patribus Pontificios Theologos fuisse accepimus.

IV. *Quodque dolendum magis non sine Ordinis adprobatione.*

Vt propterea satis dolere non possim, prudentissimi Ordinis auctoritatem librum præseferre; Quum enim adeo illorum plerisque doluerit ab Iulio Nigrono paupertatis, quam profitetur; quòd illam Franciscanæ ac mendicanti posthabuerit, dignitatem aliqua ex parte, vt ipsi quidem arbitrantur, fuisse imminutam; vt rem in certaminis aleam mittere Castaldo permiserint; quomodo secum non reputauerint vix expedio longè adhuc magis hoc, quod his Decisionibus tentatur

tur nobis doliturum, sed malo eorum, qui librum censuerunt bonam fidem interpretari; nam mihi exploratissimū est, discordiarum noua semina ab his non iaci, qui antiqua velint elisa; & qui pacem amant, iniurias non serere. Ipse verò Auctor, si leuibus illis, danda veritati venia est; quas attulit, rationibus ita commouebatur, vt ineluctabilibus viri magni solent, ad aliquem nostrorum hominum, qui Romæ viuunt (quorum permulti celeberrima doctrinæ fama sunt) cur non adiit; vt ab illo, quæ nobis voti illius ratio esset, non dicam disceret, sed intelligeret; & satis quidem esse poterant homini sapienti, quæ de illo magnus Suarez, Sanchez, & Castro-Palaus disertissimè docent; sed esse viuæ vocis nescio quá maiorem vim, satis scimus. Possem hîc ego de iniuria & quidem grauissima quam Ignatio, totíque Ordini intulit. Sed ne iustus ipse dolor iniuriarum accusetur; nam eò ventum est, vt ne liberè quidem quorumdam iudicio dolere liceat, ea in quæ Pasqualigus censuram exercuit asperrimam, & totis duabus Decisionibus arietauit, age, pressiùs examinemus.

Votum igitur, cuius, *Vt de re quæ non licet vouenti*, Societatem omnem, ipsúmque sanctum accusat Ignatium, ne quem lateat, illud est, de quo sanctus Legislator suarum Constitutionum part. X. §. 6. sic præcipit: *Promittat etiam Deo, quod si quando, dicto modo, compulsus prælationem aliquam extra Societatem admittet, audiet postea, quouis* V. *Voti formula ex Constitutionibus Societatis.*

tempore, Præpositi Generalis, qui pro tempore fuerit, consilium, vel alterius, quem ille sibi ad hoc substitueret; quodque si senserit esse melius, quod consulitur, sit illud exequuturus. NON QVOD HABEAT, QVI PRÆLATVS EST, ALIQVEM DE SOCIETATE SVPERIORIS LOCO; Sed quod sponte, in Dei conspectu, vult ad id faciendum obligari quod ad diuinum obsequium melius esse intellexerit, quodque placeat esse aliquem, qui sibi cum charitate, ac libertate Christianâ ad gloriam Dei, & Domini nostri id proponat. Hæc Ignatius, quæ paulò explicatiùs in formula votorum simplicium, quibus se obstringunt Professi nostri, relata sunt. Sed hoc laudatissimum votum, quod Ignatius ex adytis Christianæ, tum modestiæ, tum prudentię, atq; adeo interioris sanctimoniæ conceptum suis proposuit vouendum, Auctor Decisionum vt futile, ac nullarum virium accusare; vt de re illicita vouenti, Ecclesiæque totius majestati, Episcoporúmque dignitati noxia, damnare non dubitauit. Et sanè mirari id ego satis non possum, hominem, vnum, quamtumuis doctum & eruditum, sed vnum tamen & primæ famæ rudimenta captantem, quod Legislator sanctissimus, tantisque diuinis illustrationibus in conditione Constitutionum redūdans sanciuit, liberiùs reprehendere ausum fuisse.

VI. *Opponitur Censori maximorum virorum consensio, iudiciumque.*

Sed fac Ignatium hominem literarum, ac Theologiæ totius rudem fuisse: fac nullo in his scribendis vsum diuinitatis instinctu, nulloque cum Laynio,

nio, cæterisque viris magnis, quibus vtebatur assiduè, contulisse, quis voti reprehensorem, qui vt magnus sit, ne vnus tamen est, & nouitiæ adhuc famæ, viris longè doctissimis, qui eius se voti Religione in Societate obstrinxerunt, anteponat? Age, iudicium non Academiarum, aut doctiorum, sed eorum, qui Theologiam, vel à limine tantùm salutarunt, si lubet experiamur.

VII. *Trium Cardinalium.*

Votum audiendi consilium, ac sequendi, siquidem melius propriis cogitatis videbitur Auctori decisionum non placet? At placuit Toledo, Bellarmino, Pasmanio Cardinalibus ab omni æuo doctissimis, quorum duo postremi duarum nobilissimarum Ecclesiarum, Capuanæ, ac Strigoniensis Archiepiscopi fuere, qui se illi obligarunt. At placuit Alphonso Mendez Æthiopiæ Patriarchæ.

VIII. *Vnius Patriarchæ,*

IX. *Plurium Archiepiscoporum & Episcoporum.*

Placuit Apollinari de Almeida,&Didaco Sicco Episcopis Nicenis, Ioanniq; de Roccia Hierapolitano Antistiti. Placuit Sebastiano Morales, Petro Martinio, Ludouico Cerqueiræ, Didaco Valenti, Didaco Luysio Episcopis Iaponensibus: Placuit Fráncisco Roz,&Ferdinando Mendozæ Archiepiscopis, primo Thomæorum, secundo Cuschensium in America,quorum cùm duo,trésue adhuc superent, reliqui vel sanguinem pro Christo dederunt, vel in exilium à barbaris pulsi, magnas inter ærumnas expirarunt, & sapientia & virtutibus clarissimi fuerunt. Hi omnes huius voti sponsione quod

Auctori non placet, Deo se obligarunt; Non placet Auctori Decisionum?

X. *Maximorum ex omnibus Christianis nationibus Theologorum* At placuit Suario, Valentiæ, Molinæ, Vasquio, Fasolo, Albertino, Tannero, Meratio, Lessio, Sanctio, Gillio, Smiglетio, Gretsero, Turriano, Cornelio à lapide, Maldonato, &. Lorino, Benedicto Iustiniano, alijsque sexcentis viris omni doctrinarum genere nobilissimis. Itaque mirum videri possit tot tantorumque virorum nomina, qui non in vltimis subsellijs sedeant inter doctos, huic voto aliquam non circumdare probabilitatem; quæ si adsit, nulla sanè ratione ab Auctore Decisionum vt *De re, quæ non licet vouenti* accusatur; Cùm enim exploratissimum sit, quod probabiliter licitum est, sanctitatem voti ferre posse, cur hoc illam non capiat, quod non vnius Nouitij Theologi, sed plurimorum, ac maximorum consensione comprobatur?

XI. *Opponitur suprema Pontificum adprobantium Auctoritas, Gregorij XIII.* Sed lentiùs agimus, quàm censuræ atrocitas ferat. Quis verò audeat nigrum illis theta præfigere, quæ summorum Pontificum non semel probauit auctoritas? Quæ confidentia hominis illa damnantis, contra quæ ne quidem licet disputare? Aut ego mentior, aut qui hoc fecit, Pontificum decreta violauit; non equidem dicam contempsit, nam de viro Religioso id sine scelere suspicari non possum, sed certè ignorauit. Votum igitur, quod Auctori non placet, placuit summis Pontificibus, qui Constitutiones vel examinatas,

ac ne-

ac ne verbo quidem imminutas nostris reddiderunt, quod à Paulo Quarto factum docet Sacchinus, vel diplomatibus amplissimis laudauerunt, vel grauissimarum pœnarum minis audaciam quidquam ex illis nouare molientium absterruerunt. Audiat Auctor, quo fulmine insurgat Gregorius XIII. in ea Constitutione, quæ incipit: *Ascendente Domino.* XII. *Cuius censura tenetur Censor.*

Præcipimus, inquit, *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & beneficia secularia, & quorúmuis Ordinum regularia, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris reseruamus) ne quis cuiuscumque status, gradus ac præeminentiæ existat, dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, vel etiam præsentes, aut quemuis earum, vel supradictorum omnium articulum, vel aliud quid supradicta concernens, quouis disputandi* (nulla igitur contra ex instituto disputanti superest excusatio) *vel etiam veritatis indagandæ quæsito colore, directè vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat.* Quid horum consequens sit, iam videt, opinor, Auctor Decisionum.

Sed luculentiùs adhuc, explicatiúsque Gregorius XIV. in Constitutione *Ecclesiæ Catholicæ*, sic enim habet. *Præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ vniuersis & singulis personis, tam secularibus, quàm quorumuis Ordinum regularibus* (ergo & Clericis Regularibus, ac proinde Auctori Decisionum) XIII. *Vt & Gregorij XIV.*

cuiuscumque status, gradus, & praeminentiæ existant, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut maiori Ecclesiastica dignitate seu Cardinalatus honore, vel mundanâ quauis auctoritate seu excellentiâ præfulgeant. Ipsis verò Regularibus, etiam dictæ Societatis Religiosis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, necnon inhabilitatis ad quæuis officia, & dignitates, vocisque tam actiuæ, quàm passiuæ priuationis, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem nobis, & successoribus nostris dumtaxat reseruamus) ne dictæ Societatis Institutum, Constitutiones, aut Decreta, aut ex eis quidpiam (audire hæc diligenter Auctorem velim) *aut ex præmissis omnibus articulum quemlibet, vel aliud quid supradicta concernens, maioris boni, aut zeli, aut quouis alio quæsito prætextu directè vel indirectè impugnare, &c.*

XIV. *Cuius decreta violauit.* Quî vmquam hinc euadat Auctor? Non Constitutionum quidpiam oppugnat, cùm votum quod illarum parte X. §. 6. præcipitur, nullius esse roboris, ac de re, & illicitâ vouenti, & Ecclesiæ noxiâ (ac proinde, quod consequens est, suaptè naturâ sacrilegij plenum) esse contendit? Non id directè agit, qui de illius vi ex instituto, decisione CCL. XXIX. disputat? Possem ex Pauli Quinti, aliorumque Pontificum amplissimis Constitutionibus plura in medium afferre. Verùm quamquam tàm illustrium virorum auctoritas, & Pontificum maximorum decreta amplissima ad voti certa tecta tuenda satis superque esse,

esse, nec ipse inficias ire posit Pasqualigus, operæ tamen pretium facturum me puto, si quibus potissimum rationibus huius voti sanctitas contineatur, breuiter exposuero. Et poteram quidem his, quæ de hoc loco à Suario luculentissimè disputantur, rem totam conficere; Verùm ne quid à nobis hîc desiderari possit, paucis exequar.

XV. *Materiam voti honestam esse debere probatur.*

Principio igitur diligenter videndum est, vt quæ voto subijcitur materia, tantæ dignitatis satis sit capax; pleraque enim sunt, quorum indignitas, & angustiæ voti Religionem quæ profectò eximia est, atque amplissima, non capiunt. Cuius enim vanitatis, ac proinde impietatis esset, ambulationem aliquam animi tantùm causâ, aut confabulationem cum amicis vouere? Mitto neminem ita insanire, vt stuprum, aut homicidium, sine Diuinitatis iniuriâ, vouere se posse credat. Quum igitur, quæ suscipiuntur consilia, & quæ designantur facinora, pulcherrimè cum officio, ac virtute conueniunt, quin voti sponsione, ad ea peragenda Deo se quis obligare possit, nulla est dubitatio. Vt enim optima, & pulcherrima pecudum corpora Deo olim ritè immolabantur; manca verò, & fœdâ macie, aliáue labe confecta procul ab aris arcebantur; ita nunc in animi consilijs, destinatísque victimis, nimirum longè gratioribus, diligenter cauendum est, ne quid turpe aut vitio affine voueamus. Quæ quum exploratissima sint, virtutum officium erit huiusmodi victi-

mas

mas inſpicere, atque explorare, quibus ſi probatæ fuerit, aris admoueri, ius fáſque erit.

XVI. *Conſilium audire honeſtiſſimum eſt ex prudentiæ legibus.*

Igitur auditionem conſilij (nam ea prima voti pars eſt) cuinam virtuti maximè probetur, inſpiciamus. Ea, opinor, eſt reliquarum omnium moderatrix Prudentia, cui ſuccenturiatur animi illa, numquam ſatis laudata, demiſſio. Quis enim vnquam in prudentum numerum retulerit, qui amicorum, atque ſapientum conſilia, ne ad aures quidem velit admittere, quum non modò ſapientes recta ſuggerant, ſed vt ille ait etiam

Olitor ſæpe opportuna loquatur?

Quis non, vt ſuperbum illum damnet, qui conſilij quamuis egregij, quod ipſe non attulerit, contemptor ſit? Infinita eſſet oratio, ſi quæ de audiendis conſiliis à ſapientibus tradita ſunt, in medium vellem afferre. An non diſertiſſimè monet Sapiens, nihil ſine conſilio faciendum, ne ſera, & inutilis ſubeat pœnitentia? *Nihil*, inquit, *ſine conſilio facias, & non pœnitebis.* Et ſalutem ibi eſſe vbi ſunt multa cõſilia? Et ſapientiam habitare in conſilio, & plurima in hunc modum. Quotus quiſque eſt, qui neſciat, Eubuliam, quam Latini Bonam dicimus conſultationem, ad prudentiam pertinere; ſiue illam cum Ariſtotele eius inter officia, ſiue cum Aquinate partes inter potentiales accenſeas? Quàm pauci verò ſunt homines, quibus ea, quæ prima eſt apud Heſiodum, & qui ab illo accepit, Nazianzenum Gregorium,

gorium, prudentis laus obtigerit; vt consilia per se possint explicare; quum plerisque omnibus mortalibus, quod olim cecinit Orpheus, paruæ ac mortales in oculis pupillæ sint? Quàm timidæ quod monuit Sapiens, atque incertæ cogitationes nostræ sunt? Plerisque igitur mortalium in secundis consistere, hoc est rectè monentes sequi, est necesse; ne in tertium pessimorum ordinem, qui nec monentes quidem audiunt, ab Hesiodo, & Gregorio Nazianzeno reijciantur.

XVII. *Et Præsulibus quàm maximè.*

Quæ si omnibus omnino, qui virtutem sequuntur, sunt admodum necessaria; cum vix vnus aliquis reperiri possit, qui alijs consultis opus non habeat, quantâ illos consilij petendi putandum est necessitate constringi, quibus Christianæ Reipublicæ vigilia credita est, & animorum salus commendata? si ars artium est regere imperio populos; si Episcopi munus onus est Angelicis humeris formidandum, vt à Patribus accepimus, quis non optet ea sibi suggeri, vt quàm commodissimè ferat? Insanientis hominis esset ab Episcopis ablegare consiliarios, sine quibus nulla satis constat Respublica, nec priuatæ, aut publicæ rei quidquam tutò absque pœnitudinis, atque reprehensionis periculo agitur. Res igitur prudentiæ plena est quum agenda res est, alios consulere, in quorum prudentiâ possis acquiescere, monentésque amicos audire, vt sententiis in Curiâ pectoris exinde discussis, optima fiant consulta prudentiæ.

Imo in rebus dubiis, atque admodum formidolosis, nullum aſpernari, qui conſulendo opem ferat, laudes inter prudentiæ recenſetur. Plenæ ſunt externorum hiſtoriæ, plena monumenta ſanctorum exemplis.

XVIII. *Quod reliquos inter fecit Carolus Borromæus.* At ne antiquitatem hîc centuriemus, Carolum Borromæum, quamuis tantus ipſe eſſet, támque multis diuinis luminibus redundaret, viros apud ſe habuiſſe ſacrorum, humanorumque iurium peritiſſimos, quorum ſentetias rogaret, ac reliquos inter Franciſcum Adurnium è Societate noſtra, cuius ſententiâ interiora diſponeret, animumque regeret, quis ignorat? Exploratiſſimum igitur eſt, aliorum ſententias ac monita audire, partem non vltimam eſſe prudentiæ.

XIX. *Pertinet etiam ad Chriſtianam animi demiſſionem.* Accedit Chriſtiana demiſſio, quæ plurima ex hac emicat conſultatione, vt cœcum illum eſſe oporteat, in cuius oculos fulgor iſte non incurrat. Quantùm hominum inſitum generi eſt, propriam amare, atque in alienam ægrè ire ſententiam, tantùm demiſſioni, vt innatam expugnet peruicaciam, doceatque alios meliora ſentire, connitendum profectò eſt; quod ſi dignitate, ſapientiâ, vel ætate præimus, longè difficiliùs, quæ ab inferioribus in medium afferuntur, conſilia, vel audire, vel probare nos experimur. Duas igitur prima iſta voti pars, maximaſque virtutes complectitur, Prudentiam, atque Humilitatem.

Alter

Altera verò ea sequendi consilia, quæ propriis cogitatis meliora, atque diuinæ gloriæ viciniora videbuntur, ad eum enititur Christianæ sanctimoniæ gradum, quo sublimiorem in hac totâ re vix cogitando assequi possis. Quo enim ille in Deum amore dicendus est, cui, quæ illi gratissima, & acceptissima sunt, minoribus contemptis, amplecti deliberatum est? cui nihil nisi summum placeat? qui nunquam in tertiis, aut secundis consistat, sed primas semper petat? Res quidem in hac tantâ imbecillitate naturæ ardua, & paucis tentata, sed ad quam eniti longè gloriosissimum sit, meliora sequi, bonis etiam neglectis, validissimæ charitatis ingenium est. XX. *Melio a sequi velle animi ad summa tendentis honestissima contentio est.*

Teresiam magnam illam Virginem, quæ Carmelo antiquum reddidit decorem, grandi se voti sponsione Deo legimus obligasse, vt quæcumque optima cogitanti obijcerentur, ea sibi duceret peragenda, quamuis alia, & quidem laudata, non deessent consilia, tanta vis amoris animo inciderat. Quid? si aliorum monitu ea illi obijcerentur, facturam fuisse dubitamus? hoc enimuerò est virgini sanctissimæ iniuriam facere, illamque ab incitatissimo cursu, quo ad summa quæque ferebatur, ita reprehendere, quasi verò ad metas proprij affectus, quo nihil in toto sanctimoniæ negocio est periculosum magis, formidatumque viris sanctis, adhæreret. XXI. *Et in magnâ Teresia laudatissima.*

Cur igitur Episcopo, ad ea quæ optima vide-

 buntur,

XXII. buntur, siue domi nata sint, siue aliunde aducta, sequenda consilia voti religione interposita se adigere nefas sit? Cur hoc tàm excellens bonum loqui non liceat? Quod si quàm latè patet consilium hoc meliora eligendi, laudem, & quidem amplissimam meretur, cur in aliorum consiliis sequendis reprehenditur? Quod si laudabile, atque adeo eximium est, animum ita obfirmare, cur sanctitatem ea destinatio non capiat? cur ea Religionis anchora leuis alioqui animi nauis fundari non possit? Scimus encausto auro nullíque præterea metallo, si vera narrant, splendorem, pretiumque accedere, nec gemmas primæ notæ plumbo decorè circumdari satis nouimus; verùm tantus hic emicat virtutis fulgor, ea interioris huius Philosophiæ Christianæ in Lycæo dignitas est; vt quamcumque sanctitatis, ac voti Religionem possit sustinere. Hæc à nobis leuiter potiùs adumbrata, quàm pressiùs disputata sunt; neque enim fuit necesse, quum penitus à Pasqualigo fuerint neglecta, quod tamen facere non debuit, si votum illud conuellere in animo habuit, quamdiù enim hæc fundamenta non subruuntur, frustra eidem arietes, sed planè stramineos admouet. Certè nemo sapiens, ex tam puris sanctimoniæ fontibus, noxios Reipublicæ latices profluere sibi persuaserit. At Pasqualigo aliter visum est, videamus quas iudicij sui rationes afferat, quæ sanè viro acuto videntur indignæ.

Opportuna igitur Voti materia duo hac sunt.

Quis

Quis enim, qui res ad viuum resecet, quod illi sumendum necessariò est, falsum esse ignorat; per votum simplex, & non religiosum, vt jam loquimur, ius vllum homini acquiri, quamuis aliquid in illius commodum voto contineatur? Vouet quispiam se mendico argentum dare, si postulet, quis mendico ius esse cum vouente iudicio experiri vnquam dicet? Deo acquiritur ius, cui vouens religiosa illa sponsione obligatur, non mendico. Franciscum Assisinatem illum Christianæ paupertatis, & miserationis primipilum, antequam inuictam suam legionem conscriberet; cùm pauperem è grege vnum Christi nomine stipem à se postulantem repulisset, tanta eius repulsæ pœnitentia subiit, vt voce sacramento se obligauerit numquam exinde cuiquam petenti se negaturum. Quis rogo, omnibus ita obnoxium propterea fuisse Franciscum dicet, vt ab eo iure omnes repetere possent, ac iudicio experiri? Vouet quispiam se prudentis amici monita auditurum, nec tamen amicus, vt audiatur, cogere vouentem potest. Deo manet obnoxius vouens, illis quorum commodo vota Deo fiunt, nullum ius est repetendi; quâ enim sponsione illis tenetur, quos ne appellauit quidem? monere possunt, ne Deo votam fidem fallat, qui nouit, vt stet promissis, nec Deo dicti Sacramenti fidem sus déque habeat; cæterùm actionem nullam habent. Cur enim habeant, quibus nihil promittitur, quamuis in eorum

XXIII. *Votum simplex, etiam in alterius commodum, Deo tantùm obligat, non homini.*

rum bonum promittatur? Res est manifesta, docentque omnes, qui de iure, siue humano, siue diuino agunt.

XXIV. *Episcopus nullâ obligatione Generali obnoxius est, sed Deo,*

Quamuis enim officio desint, qui fallunt, ij tamen non homini, sed Deo rei sunt. Itaque Episcopus è Societate factus, siue monentem audire detrectet Præpositum Societatis Generalem, siue monita suis cogitatis meliora sequi nolit, atque contemnat, is omnino à Deo violati voti postulabitur, à Generali pro potestate interrogari non poterit, nec ad audiendum cogi. Quid enim illi promisit? Quum igitur acrior sit animi, quàm pecuniæ obligatio, & nulla pauperi, cui me daturum voui si petat, petenti obligatione deuinciar, cur Præposito sit obnoxius Episcopus non video, nec satis vidisse arbitror Pasqualigum. Sed illustrissimo Benedicti XIII. iuramento rem totam explicemus; nullum habent Christiani Annales luculentius. Is enim antequam Pontifex fieret, iureiurandi religione interpositâ sanctè spopondit abiturum se Pontificatu, quando id è Republica ad tollendas factiones ac schisma componendum videretur. Dicétne quisquam sacrosanctam potestatem primæ Sedis à Benedicto Ecclesiæ tunc subditam fuisse, cùm id facere non posset? Quid si quispiam Præsulis Rectorísue sui prudentiâ captus eius se ductum, etiam cùm magistratu abierit secuturum voueat, modò contra legitima Successoris imperia eundum non sit; húncne

ne illum pro Rectore ac Præſule habere dicemus? quodnam illi qui amplius Rector non eſt, in hominem alienæ poteſtatis ius eſt? Eadem planè ratio Epiſcopi, de quo nobis orta hæc diſputatio eſt.

XXV. *Quod Conſtitutionis verbis exertiſſimè caueatur,*

Accedit conteſtatio illa diſertiſſima Conſtitutionum, quam illum animaduertiſſe hominem, qui aliter ſentiret, par fuit. Quid? nonne diſertiſſimè Conſtitutio habet, eum, qui Prælatus eſt, nulli ex Societate hoc voto ſubiici? Habet hoc lex? imo exertè. Recitetur, *NON QVOD HABEAT, QVI PRÆLATVS EST, ALIQVEM DE SOCIETATE SVPERIORIS LOCO.* Potuítne luculentiùs omnem imperij, aut ſubiectionis ſuſpicionem amoliri? Si nullum habet Superiorem, nulli profectò ſubiicitur; ſi nulli ſubiicitur, nemo ius in illum habet; nam hæc adeo conſequentia ſunt, vt non modò re, ſed ne ipſa quidem poſſint cogitatione disiungi. Quid hîc faciet Auctor, qui toto aberrans cœlo in hac vnâ ſubiectione ſuæ diſputationis opes ſitas habet, qua ſi depellatur, nihil ſolidum poſſit afferre?

XXVI. *Ad quarum mentem concipitur votum.*

Dicet fortaſſe huius, quæ in lege habetur exceptionis in ipſâ voti formulâ mentionem fieri nullam; ea propter, cùm ex conceptis verbis obligatio oriatur, quidquid caueant Conſtitutiones, parùm ad vouentem pertinere. Hoccine dicet Auctor? quid enim aliud poſſit excogitare?

At

At ego ipſam formulam, ſi hoc dicit, inſpexiſſe llum nego. Quid? non ſolemnibus illis verbis clauditur. *Omnia intelligendo iuxta Societatis I E S V Conſtitutiones, & declarationes?* Niſi ego per ſummam impudentiam hæc comminiſcor, quicumque Epiſcopum è Societate factum Præpoſito Generali ſubiici dixerit, per ſummam indiligentiam ſcribere, atque oſcitanter admodum diſputare profectò neceſſe eſt. Conſtitutionibus cauetur, ne hac voti ſponſione Generali, aut cuiquam ex Societate ſubiiciatur Epiſcopus; voti formula *iuxta conſtitutiones* concipitur. Illâ igitur ſubiectio omnis reiicitur: Res adeo eſt manifeſta, vt vel pueri, & qui in primo dialecticæ limine verſantur, id confici non dubitent.

XXVIII. *Vt propterea ſuat cenſuris obiectio.* Quî ergo ſcribit tam confidenter Auctor num. 4. *Hoc votum habet pro obiecto ſubiectionem ad Generalem Societatis?* Hoccine ſcribere vigilantis eſt, an dormiturientis diſputatoris? Illudne obiectum voti ſit, quod à voto conceptis, deſertíſque verbis remouetur? Contendamus inuicem Auctoris dictum, & Ignatianæ legis caput: contendamus Auctoris commentum, & vouentium voluntatem. Quid ais? *Obiectum voti eſſe ſubiectionem Epiſcopi ad Generalem Societatis.* Tu verò, Ignati, quid ais? Ita meos ad audienda conſilia ſe Deo obligare *vt non habeat qui Prælatus eſt, aliquem de Societate Superioris loco.* Hæc planè longè diuerſiſſima ſunt, vt ſi vnum verum eſt

dictum,

dictum, alterum omnino falsum esse sit necesse; subijci enim alicui, quod ait Pasqualigus, & *Superiorem aliquem habere*, quod negat Ignatius, eadem sunt. Quum igitur alterutrum falli oporteat, immaniter illum hallucinari dicendum est, qui legis verbis contrariam planè, atque pugnantem intelligentiam subesse contendat, quod tamen ab Auctore fieri videmus. Quæ est ista interpretandi ratio? Votum hoc non ideo concipitur, *Quòd habeat qui Prælatus est, aliquem de Societate superiorem* ait Ignatius; & quisquam, qui hæc viderit, dicere audeat *Votum hoc habet pro objecto subjectionem Episcopi ad Generalem Societatis.*

XXVIII. *Qui Constitutiones vidisse non videtur.*

Ausim affirmare Constitutiones ab Auctore minimè inspectas fuisse, qui formulæ particulam ex Suario citat num. 8. Vos verò vouentes dicite, an vobis cum Pasqualigo conueniat? minimè gentium, inquiunt: quî enim possit, quum disertissimè in ipsa voti formula profiteamur *Nos omnia intelligere iuxta Societatis Iesu Constitutiones, ac declarationes.* Nec aliud Deo promittimus, quàm quod constitutionibus continetur, à quibus cum omnis exulet subjectio, nullâ nos obligamus.

XXIX. *Parere consilius subiectionem secum non trabit, quod Censor tacitè sibi sumit.*

At vos disertè vouetis *Vos parituros*, cuius consequens Auctori est *Per huiusmodi votum assumere Episcopum obligationem obediendi, & se subijcere Generali in ordine ad regimen propriæ Ecclesiæ*, vt ille num. 6. loquitur. Hoc verò nos negamus, & consequutionem hanc eius esse hominis dicimus,

qui Latinè non satis intelligat. Quid enim aliud Latinis est parere consilijs, quàm illa sequi? quàm illis acquiescere? quod ab omni legitimâ subiectione legitimè potest esse disiunctum? Et quis vnquam duas istas voces Consilium, & Obedientiam, si presè, atque vt rigidiores isti Philosophi loqui amant, in rigore accipiantur, copulabit? Vbi obediētia est, ibi quoque imperium esse oportet, imperanti enim obedimus: consulentem sequimur. Porrò quæ fuerit Ignatij mens, luculentiùs ex Hispanicis vocibus (nam Hispanicè ille Constitutiones condidit) intelligi potest. Audiatur: *Y que si jusgare ser lo meşor, lo que se le acconsesa lo executarà assi.* Sed adeo Latina clara sunt, vt Hispanicis opus non habeam. Adde, si quæ vis parendi verbo insit, quæ obedientiam subjectionémque, ac propterea incommodum aliquod Episcopi dignitati importet, eam illicò infringi addita cautione *Non quod habeat qui Prelatus est aliquem de Societate Superiorem.*

XXX. Sed nondum absistit Pasqualigus, numeróque septimo contendit Generalem assumere sibi regulam ad regendum Episcopum, quæ continet quicquid melius est ad regendam Ecclesiam; & Episcopus promisit se pariturum omnibus, quæ constabit sibi esse secundùm hanc regulam. Ergo emittit votum obedientiæ, & subjectionis, ac ne quis negatâ consequutione argumentum eludat, illud primò sibi sumpserat, tanquam exploratum

Vocis Regulæ confusa acceptio ex doctrinâ censoru-

Religiosum

Religiosum *in virtute voti obedientiæ non subijci Prælato, nisi secundum præscriptionem regulæ, & solùm teneri obedire, quando Prælatus præcipit secundum regulam.* Hanc ego argumentationem, nisi apud Auctorem legerem in mentem venire potuisse homini acuto non crederem; quàm enim fœda vocis Regulæ confusio est, eam in consequutione ita accipere, quasi eadem illius, tùm in propositione, tùm in assumptione significatio esset, quum tamen longè diuersissima sit? Quid enim? eademne regula est, quàm, consilia suggerendo ad præclaram Ecclesiæ administrationem, demonstrat Generalis, & quam quisque ex instituto sequitur, atque amplectitur? At nisi eadem sit, nihil agit Auctor. Quomodo autem votum obedientiæ emittit, qui disertè testatur, dum iuxta Societatis Constitutiones vouet, se ex Societate, si fiat Episcopus, nullum habere Superiorem? Quî ex regulâ voto obedientiæ teneatur, quod ipsa elidit regula, cùm omnem remouet præfecturam? Id profectò nec animo quidem concipi potest; nusquam enim cum obedientiâ copulari potest consilium, sed præceptum illi est connexum, neque præceptum esse potest, vbi nulla est præfectura; quæ cùm hinc vi Constitutionũ omnis ablegetur, præcipiendi nulla in Generali auctoritas reliqua est; quæ si desit, nulla in Episcopo subiectio inueniri potest, nisi eadem perpetuò quis in chor-

da oberrans, consilium sequi, & obedire, idem per summam, crassámque inscitiam esse contendat.

XXXI. *Nullum Generali per Votum Episcopi ius in illum acquiritur.*

Nec maior argumenti, quod numero nono explicatur, vis est. Quæso enim, quodnam sit illud ius quod Generali acquiri docet Auctor, si nihil illi promittitur, sed Deo? Vouit quis Clericis Regularibus se certum auri pondus daturum, si egere illi se dicant: rogo an postquam indigentiam suam illi exposuerint, ius acquirant repetendi? Imo vouit, se auditurum petentes mendicos, interrogo, an isti vt audiantur, ius acquirant? Quis vnquam illis in iudicio actionem dabit?

XXXII. *Assistentia directiua [illegible] auctoritatem non impos-[illegible]*

Porrò *assistentiam*, vt loquitur *directiuam*, quis non videat, & cum auctoritate coniunctam, & ab illa sejunctam esse posse? Si auctoritatem habeat, vltrà non quæro, sequantur quæcumque demum incommoda, nihil ad hanc nostram disputationem arbitror pertinere; in qua demonstratum luculenter admodum est, Episcopum Generali non subijci, & quod consequens omnino est, nullum huius in illum imperium esse, quod disertè cautum, explicatúmque in Constitutionibus est, ad quas vim omnem voti exigendam esse profitemur. Si verò non habet, inepta est argumentatio.

XXXIII. *Inefficax à libertate argumentatio.*

Sed age, quàm acutè à libertate numero nono argumentationem conficiat operæ pretium est audire,

audire, vt admirabilem philoſophandi rationem addiſcamus; vereor enim ne quotquot voti ſponſione religioſè Deo ſe ſe obligant, ea clam fuerit, magnóque omnes in errore verſentur. Ea autem, ſi integra ſit, additâ, euocatáque latenti propoſitione ita erit explicanda, & quidem eius verbis, quàm minimum fieri poteſt, ex aſſumptione immutatis. Quicumque ſtante iudicio actionem aliquam voti à ſe concepti materiam eſſe opinatur, is liberè non operatur. At ſtante iudicio Generalis conſilia ſuis cogitatis eſſe meliora operatur Epiſcopus illa ſuis præferens: Non igitur liberè operatur. Propoſitio verò probatur, & quidem validiſſimè, quia iudicium intellectus non eſt liberum, ſed neceſſarium. Pudet iam, opinor, Auctorem huius tàm infelicis argumentationis, quæ tamen ipſius ipſiſſima eſt.

XXXIV

Non enim obedientiâ & violatur libertas.

Quid? nôs liberè maiorum imperata non facimus? Quis enim cogit? Progredior vlteriùs, ſi quis Deo voueat, ſe diuinæ legis præceptis ſemper pariturum, is non liberè ijs parebit? Quæ eſt iſta peruerſa colligendi ratio? quanta vanitas eſt, ampla illa, & magnifica præmia ſperantium, ſi non liberè operamur? Porrò, ſi votum, ſtante iudicio vouentis actionem illius Religione contineri, libertatem nobis adimit, ac refingit in pecudes, cur inani nos promiſſorum præmiorum paſcimur ſpe? An diuina lex non obligat, & tamen liberè illi obtemperamus? Cui

 vnquam

vnquam Theologorum idem fuit aliquid non licitè fieri, & liberè non fieri?

XXXV. *Ecclesiæ administratio non à consiliis Generalis, sed ab Episcopi iudicio pendet.*

At, inquit Ecclesiæ administratio à præscriptione Generalis pendet. Hoc verè falsum est, & hominis minùs attentè, atque ad viuum rem resecantis. Ab iudicio enim Præsulis ea tota suspenditur. Non enim quia Generalis ea dat consilia, sed quia ipse suis esse meliora iudicat, operatur. Itaque nulla iam Generalis ratio, sed iudicium Præsulis dominatur in actione, ideoque sui iuris, ac spontis est. Quis enim vnquam contra iudicium, quod practicum vocant, quia liber est, possit operari?

XXXVI. *Vt nec emptio meliorum gemmarum à mangone.*

Gemmas ad sacra vasa distinguenda, quas pulcherrimas iudicabit se mercaturum aliquis vouit, multisque ex Boëmia per Mangones oblatis iam ibi est, vt eas numerato emat argento, cum ecce tibi ab Indiâ, illâ gemmarum diuite, gemmarius alias offert, quarum splendor is est, vt priores illæ diuini fulgoris comparatione obsolescant, has certè illis prioribus reiectis, emet, qui se pulchrioribus emendis voto addixit, nisi adeo animo cœcutiat, vt quia fulgorem lapidum oculis vix ferre potest, viliores æstimet. Vt vt sit, quas præire pulchritudine gemmas iudicabit, eas nisi datam Deo fidem, ac voti sponsione firmatam fallere velit, sibi comparabit. Quis tamen vnquam dicturus est, nisi insaniat, Mangoni ita addictum Episcopum esse, vt veluti mancipio obnoxiam

[redacted]

noxiam libertatem amittat? Fac primas ab Episcopo gemmas repudiari, atque alias, aliásque ab eodem mercatore proferri, vt nulla iam prioribus illis, quas Episcopus amabat, de pulchritudine cum his certandi superſit audacia; ideóne Gemmarius, quod & eximias, & longè ſemper fulgentiores ex vidulo gemmas depromat, Episcopo libertatem abſtulit, eumque in ſuam redegit ſeruitutem? Non hoc dicet Paſqualigus: At eadem dicit, quum de conſiliis ratiocinatur, vt nos de gemmis diſputauimus. Et gemmas ego, quæ rectis conſiliis comparari poſſint, ab Indiâ mitti nullas puto.

Non Gemmarius, sed Gemmario [illegible] per [illegible].

XXXVII. *Principum consilia quomodo ab Episcopo audiri possint, explicatur.*

Quæ de Regibus numero X. diſputantur, ea inuidiæ potiùs conflandæ, quàm cauſſæ firmandæ dicta ſunt. Quid enim incommodat amplitudini ac libertati Præſulũ, ſi iuramento non adacti Principum conſilia Deo ſe audituros polliceantur? Si meliora ſecuturos? Quam in ſacroſancta capita ſibi auctoritatem Princeps vſurpet, ſi nullo iure cogere poteſt? Nam ſi homini promiſſio fieret, aliquid eſſet vlterius inquirendum; quod quum à re noſtra longè diuerſum ſit, libenter prætereo. Rurſum niſi de iis, quæ libera ſunt Eccleſiaſticis nulla eſt diſputatio; quæ cùm liberæ ſint electionis, aliena me conſilia probare, quis vetet? cur autem iuramento non in alicuius verba, ſed in ipſius virtutis excellentiam adigi ſi velim, non poſſim? Tertiò ſcire ab Auctore velim, an legibus

busà Principe latis tanquam ſapientum conſiliis, dirigi poſſit ſacer ordo? nulla dubitatio, immo illis hac teneri ratione nihil eorum obeſt dignitati, & penè in confeſſo eſt. Cur non igitur ſe ad conſilia, & monita audienda ſponte, interpoſitâ etiam Sacramenti Religione poſſint obligare? Illud tamen animaduertendum eſt, ſi ad Sacramentum huiuſmodi Princeps cogat, iniuriam facere? nemo autem cogitur, ſi conuentio intercedat, quod apud nos fit. Quæ cùm ita ſint, quæ ad renunciationem priuilegij fori numero XII. diſputantur, vt ad rem minùs pertinentia, diluere operæ pretium non eſt. Vbi enim lateat, aut cuiuſmodi priuilegium ſit, quo à prudentiæ legibus, quæ conſilia audiendi, & meliora amplectendi magiſtræ ſunt, homines Deo ſacri ſoluantur, me ignorare haud cunctanter fateor. Niſi verò huiuſmodi priuilegium ſit, qui ſe ad audienda conſilia voto obligat, illi non renunciat.

XXXVIII *Epigraphes Deciſionis CCLXXX. mira implicatio, & pugna.*

Cæterùm quanta ſit Auctoris ſubtilitas, ex epigraphe deciſionis CCLXXX. intelligemus; ea enim admirabilis eſt, & in hæc verba concipitur. *An ſi huiuſmodi votum haberet ſuam validitatem, obligaret Epiſcopos ex eadem Societate aſſumptos.* Ita nos Deus amet, quid ſic quærere in mentem venit? Rogo, validitatem habere, aliudne cuiquam eſt, quàm obligare? mihi quidem de voto loquenti omnino idem videtur. Quid enim aliud valet validitatem habere, quàm validum eſſe? & validum

validum esse, quàm obligare? Itaque disputare iam vis. An si votum hoc obligaret, quod ineptissimum est; saltem aliquam temporis notam addidisses; leuior esset indiligentia, nec ideo tamen absoluerem. De quo enim tempore disputaturus es? De illo arbitror, in quod voti materia cadere potest, at in illud idem reijcienda obligatio est, quæ si cum illo componi non potest, iam nunc nulla planè est, vis enim illius omnis ab illâ compositione dependet.

Nec titulo felicior reliqua est disputatio; quàm multa enim inuoluit, quæ sola disputantis lubentiâ focillantur? Quid? an votum hoc regulæ est? an, etiam si esset, Episcopum non obligat? Primum quidem omnino falsum; Ea enim regulæ vota dicuntur, quibus illa veluti compagibus adstringitur, quæ si absint, esse desinat; quæ vt verbo dicam, vota Religiosum faciunt, & certo vitæ addicunt instituto; quorum si nihil hoc nostrum habet, non est quòd votum Regulæ appellemus. Sed fac esse; aio nihilominus illo Episcopum teneri, licet regulâ non amplius teneatur. Pasqualigus non teneri docet, quo Auctore, non quæro, in hac enim tota disputatione ducem nullum sequitur, & diuersus ab illis abit, qui de hoc nostro voto doctissimè disputarunt, Suario, Sanchez, Castro-Palao vt verè dicere possit *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo*, cui aliquis occinat, quid mirum si aberrat.

XXXIX. *Vota Regulæ quæ dicantur.*

[illegible] *[illegible] Episcopi qui ex Religionibus sunt.*

Mihi Dux est Theologus 2. 2. q. 181. a. 8. In eo enim de Religioso, qui Episcopus factus est, solidissimè docet, non ideo quod Episcopus sit, religiosum esse desinere, sed votis, quibus substantialiter Religio continetur, nisi cum officio Episcopi minùs conueniant, adhuc teneri; ob eamque caussam ordinis sui habitu incedere illum debere, vt vel ex eo sui admoneatur officij. Quem in locum egregiè disputat Caietanus. Habeo Vrbanum VIII. cuius breui decreto definitum est, qui dignitates se ex alicuius Ordinis regula, non petiturum vouit, licet ab illo ad alium Ordinem transeat, ac proinde priori non ampliùs regulâ teneatur, non tamen voto non ambiendi solutum esse. Ex quo liquidò constat, tantam esse voti vim, vt quamuis concipiatur ex regulâ, non ab illâ tamen, sed ab ipsâ religiosâ sponsione vitam habeat, quæ ad regulæ obitum, vt ita loquar, non expirat. Et plurima profectò sunt in omni rerum genere, quæ ab aliis enata, & condita, non ita cum illis copulantur, vt eosdem durationis terminos habeant, atque vt cum Philosophis paulò horridioribus loquar, ab alijs in fieri, non in conseruari dependeant. Sed hæc tanti non sunt Auctori, vt illis sua posthabenda censeat, quæ magnam sanè habent admirabilitatem.

XLI. *Virtualis intentio perperam à Censore contra actualem vindicatur.*

Quid enim admirabilius audiri potest, quàm votum, quod validum esse dicitur, *contra intentionem virtualem* esse vouentis, vt ait num. 4. Quis

hæc

hęc Oedipus explicet: Age conemur. Quęro an validè voueat? omnino; id enim scriptum est. Quæro iterum, an ex animi sui sententiâ voueat? nulla dubitatio; nam nisi quis ligari voto velit, non validè vouet, nexus enim hi animi, & voluntatis, nisi ipsa ijs se induat, nulli sunt. Igitur ligari vult, qui ligatur, quod idem est ac dicere, qui validè vult. Quomodo ergo *virtualiter* non vult, qui *actu* vult? Intentio igitur se ipsam destruit? Ergo viperino more (vt vulgo fertur) suo ipsa partu discerpitur? Admirãda hæc virtualis intẽtionis explicatio, & nisi fallor, hucusque sapientibus ignorata, vt gratias Auctori habere debeat tota illorum natio; quod vim hãc eximiam virtualis intẽtionis destruendi actualem primus docuit; sed vereor, vt hoc persuadeat. Certè hac voti sponsione nisi ad id temporis feratur voluntas, quo fiet Episcopus, teneri nullo modo potest, in illud enim se res vota extendit. Quî ergo homini erudito venire in mentem potest, vt duobus planè contrarijs affectibus, in illud Episcopatus tempus animus feratur vouentis? Non hoc est eodem puncto temporis eadem velle, ac nolle, quæ profectò nulla ratione componi queunt?

Iam verò quod ad rectam rationem veluti ad regulam vouentis animum exigat, facit ille quidem sapienter, sed non inde conficit, voto, quo vel ipso teste Decisionis titulo tenetur, non teneri. Quis autem consilia, aut illorum auditionem rectæ rationi dicat aduersari? XLII. *Consilia audire rectæ rationi non aduersatur.*

N 2 Fallitur

XLIII. *Epis. opus sibi onus audiendi imponit,*

Fallitur autem Auctor, si Episcopo onus à Societate imponi docet. Non enim Societas illum voto obligat, sed ipse ex illius directione vouet; Quis verò hominem, sui adhuc iuris, consilia se amicorum, si fiat Episcopus, auditurum, vouere prohibeat? nemo sanè. Cur ergo prohibet Auctor Religioni mancipatum? An tibi liberum non est, profectionem Lauretanam vouere, si fias Episcopus? At hoc non præscribitur à Regulâ. Scio. Verùm, quamuis tu hoc tempore alienis obnoxius imperiis sis, votum aliquod pro illo tempore, quo tuæ omnino spontis eris, vouere tamen, quàmoptimè potes ex animi tui sententiâ; ita planè etiamsi alieno monitu, atque ex pacto, ac tacitâ veluti conuentione.

XLIV. *Séque non dignitatem* [redacted]

Sed longè adhuc mirabilius est, quod num. VII. comminiscitur Auctor. Episcopum nimirum, quia *persona publica* est, non posse obligationem aliquam sibi, dum priuatus est, imponere, quæ sit onerosa gradui Episcopali. Hic enimuero vt satis gradum inter, & *personam* distinguat, vereor: sibi enim, non dignitati onus imponit. Sed quærendum illud est, quid grauius, ac difficilius Episcopo esse credat, consiliúmne audire, an aurum profundere? Res ipsa loquitur, & experientia magistra docet, hoc secundum difficiliùs persuaderi.

XLV. *Quod facere in honestum [illegible].*

At quo iure vetor, dum adhuc priuatus sum, vouere omnium omnino redituum Episcopalium

piam

piam largitionem, si mihi aliunde satis ad tenuem licet victum, cultúmque rei familiaris suppeditet? sexcenta sunt, quæ de genere hoc dici possunt. Cæterùm cur ea, quasi onera cum dignitate Episcopi pugnantia, quæ illam ornant maximè ac iuuant, appellare voluerit Auctor, non intelligo.

Quid si vouisset quispiam musicos modos discere, quò diuina luculentiùs celebraret, nec quisquam ex sacro ordine sit, qui docere possit, ab homine prophano, ne infulas ei submittat, non discat? quàm ridiculum hoc esset? At discit, vt persona publica, priuatus enim nihil illâ arte indigebat, eam enim ad munia Episcopi splendidè peragenda discit. Quid autem vetat Magistratum alienis consiliis parere, præsertim si destinatis, cogitatisque suis ad Reipublicæ administrationem sint magis salutaria? Quid vetat dixi? imo, quæ ratio non postulat? Potest igitur in alienam, cum salubrior est, sententiam Episcopus ire? potest, imo debet, nisi peruicax animi sit: & nihil de suæ dignitatis amplitudine deterit? nihil: idque non in rebus modò priuatis, sed publicis? manifesta res est. Idque rursum quamuis ab homine priuato ea dentur consilia? nemo dubitet. Cur igitur quòd liberè factum laudatur, nec dignitati, neque amplitudini aduersatur, si priuata accedat obligatio, vt indignum Episcopo repudiatur? Priuatam porro esse obligationem illam nemo dubitabit; non enim vt Episcopus

XLVI. *Explicatur exemplo modorum musicorum.*

vouet, quamuis is voueat, qui Episcopus futurus est.

XLVII. *Amicè minetur Censor.* Sed de his hactenus, Constantine, vereor enim ne hoc sermone tua morer tempora. Sed velitandum mihi fuit cum Decisionum Auctore, dum alij iusta expediunt arma, & Respublica grauibus decretis suam sartam tectam etiam auctoritatem, majestatemque tuetur, cuius profecto violatæ reus est: qui Ignatij leges à sanctissimis Pontificibus scitas conuellere, atque abrogare confidentissimè ausus est; vt propterea monendus fuerit, ne Pontificiorum diplomatum, quibus leges Ignatij muniuntur, ignoratione, se ab illis eximat pœnis, quæ similia ausis infliguntur. Sed iam ad Pseudo-Constantinum nostrum reuertamur.



INEPTIA SEXTA.

De Puerorum scholis, expeditionibúsque Euangelicis.

I. *Disputatio de scholis, & Missionibus ineptè à P. C. instituitur.*



QVIDNI enim iure nobis omnibus iratus sit, qui quod apud vos Benedictinos solens fuit, & multis iam sæculis desitum, vobis ne quidem appellatis vsurpare ausi sumus? Hoc enimverò ferendum non est. Vide, Constantine, vanissimi hominis ingenium, qui alienâ eruditione diues, & veteris Benedictini moris ostentator magnificus, totam centuriauit antiquitatem, vt rem ab eruditorum nemine, quod sciam, in dubium vocatam contentiosissimè comproba-

ret? An non hoc est ineptire, si quis solem splendere tibi probandum putet? An non luculentissimè id a nostris hominibus contra imperitorum accusatorum malitiam palàm est factum? At nonnisi coacti, & defensionis caussâ fecistis. Quid enim defenderemus, dum nemo accusabat?

II. *PP. Benedictini pueros docere iam dudum desiere.*

Non hic ego quæram, quæ caussæ Benedictinis fuerint, ea se adolescentiæ institutione abdicandi, neque enim meum est sanctissimi, atque amplissimi Ordinis decreta examinare. Venerari ego ex maiorum disciplinâ religiosos Ordines, non accusare didici, illud satis ad Societatis laudem est, nullum tantum laborem, molestiámque nullam tantam fuisse, quæ ab eâ procuratione conditorum nostrorum animos absterruerint, quod in animorum, ac Reipublicæ commoda intentis turpe videbatur.

III. *Nec olim, vt Societas nunc factitarunt.*

Illud vnum si mihi sumpsero, id iure, omnibúsque antiquitatis monumentis attestantibus faciam; non eandem docendi olim Benedictinis, ac nunc nostris hominibus fuisse rationem; nec vbique ab illis apta fuisse Gymnasia, neque gratis, nullóque emolumento; nec ad promiscuam omnium, sed Monachorum tantùm aliquando institutionem. Rem ego certissimam narro, & quam ne Pseudo-Constantinus quidem ausit in dubium reuocare.

IV. *Oscitatio P. C. testem sibi contrarium appellantis.*

Quidni enim ineptus sit, qui ad confirmandum docendæ promiscuæ iuuentutis morem per summam oscitationem Trithemium testem laudet, quum is disertissimè id negat? Appello quæ lib. I. cap. VIII. ex Trithemio recitat verba; nam hominis incogitantiam arguunt, ne dicam insaniam. Quid enim Trithemius? Audiatur. *Erat hæc consuetudo Benedictinorum Monachorum celeberrima, vt scholæ in singulis pœnè cœnobiis haberentur; quibus non sæculares homines, sed Monachi moribus, atque eruditione perficiebantur.* Potuitne aliquid ad conuellenda, quæ illo capite VIII. nebulo iste docet, luculentius excogitari? Hæc vt ego te credam scripsisse, Constantine? quamquam enim non desint, qui tibi omnem eruditionis laudem adimant, téque alienâ operâ scribere contendant, & in Vrbe sint, qui suas à te plumas repetant; non ego tamen ita illis credam, vt saltem, quæ tuo nòmine in lucem protruduntur, à te nec oculis ipsis lustrari mihi persuadeam. Sed benè habet; quod quamuis id neget Trithemius, longè plures afferunt, & expressis historiarum vestigiis res tenetur.

Pag. 99. in Chron. Hirsaugiensi.

Quamquam

V. *Scholarum etiam pro externis apud Clericos, & Religiosos multò olim fuit Benedictinus antiquior,* Quamquam si Pseudo-Constantino id à Benedictinis acceptum negem; sed à longè antiquioribus Monachis ad nos deriuatum fuisse contendam, desinatne tandem ineptire? Quid si à Prædicatoribus, quorum sunt de puerorum institutione capitularia, & amplissima decreta, id acceptum à nobis fuisse confirmem? Obseruaui moris huius antiquissima vestigia, & quibus Benedictinos ipsos institisse non pudeat, contra Castaldum disputans; antequam Pseudo-Constantinus tuo nomine abuteretur. Venêre deinde in manus libri eruditissimi, quos de vetere Clerico-Monacho condidit Laurentius Landtmeter, in quorum X I. cap. C V I I. de veterum Clericorum, ac Monachorum scholis prudentissimè disserit, multáque ex sacrâ in medium affert antiquitate, quibus addam Babilam Episcopum sanctissimum, qui insulas Virinenses, & Pampilonenses in oppido Odoxe (id abesse Mantuâ Carpentanorum leucis tribus, hodieque dici *de S. Babyles* tradit nobilissimus atque eruditissimus Laurentius Ramirez de Prado) docendis pueris primas litteras submisit, quas mox ab Arabibus pro Christo cæsus purpura triumphali exornauit, vt auctor est Luitprandus in Chronico & Castaldus meus doceri poterit, non esse à Clericatu alienam eam pueros erudiendi prouinciam; & Pseudo-Constantinus tuus, ne quum in eâ Clerici antiquissimi, & Canonici Regulares strenuè olim versati fuerint à Benedictinis nos didicisse contendat, quod verbo negare possumus, si velimus, & fatentibus longè gloriosissimum est. Ampullari certè non debuit, & Benedictinis inuentionem erudiendæ in Monasteriis iuuentutis adscribere, quam sibi iure suo repetit Basilius, qui de illâ multò antequam Benedictus ederetur in lucem, suis in Regulis Breuioribus disputauerat.

Æra DCCLIII. A. D. IↃCCXV.

VI. *Ineptè de Missionibus disputat P.-C.* Porrò tota de Apostolicis Missionibus disputatio perridicula est. Postquam enim compilata Hieronymi Plati nostri eruditione (nam de Monachorum prædicatione, déque gentibus illorum opera, laboribúsque ad Christum traductis egregiè disputat) plurimas olim Prouincias Benedictinis fidem debere demonstrauit, tum Apostolicarum expeditionum institutum nos ab illis mutuatos esse contendit.

VII. *In quibus aliquanti nos strenuè laborarunt.* Mitto quòd nemo nostrûm id negat, quòd nemo adeo insanit, vt nos primos religiosorum hominum ad hanc Euangelicam prædicationem incubuisse scribat; qui scit ille Benedictinos potius, quorum antiqua, & plerisque ignorata

ignorata ſunt decora, quàm Prædicatores, quàm Minores, qui per ea tempora vtriuſque ſolis Indias percurrebant, ad imitandum propoſitos habuiſſe Ignatium? Hoc fuerat oſtendendum, ni ſæpius ineptus vellet audire. Cur enim hos potiùs, quàm illos ſecutum fuiſſe Ignatium, dicam?

VIII. *Benedictinos in Indiâ, & Orientalibus regionibus agere falsò aſſerit P.-C.*

Qua porrò vanitate mẽdaciſſimus impoſtor narret, tempore docebo. Interim quis ferat de Indiâ mentionem inferre, quaſi ad eam quotannis nauigent Benedictini; quum è Luſitanis, qui ab eâ reduces in Vrbe viuunt, liquidò ſciamus, nullum, vel noſtrâ, vel Patrum ætate in illas Orientis oras è Luſitaniâ ſoluiſſe Benedictinum: nullas ibi ſedes habere, nullam ibi Euangelicam ſementem feciſſe. Quàm effrons eſt impudentia, tàm ſplendidè mentiri; nam eum mentiri, nullus dubites, Conſtantine.

IX. *Nec id tradũt Emmanuelis Regis hiſtorici*

Primò igitur docet Benedictinos ab Emmanuele, maximo Luſitanorum Rege, circa ſalutis annum decimum ſupra milleſimum quingenteſimum, *agente etiam Iulio II. Pontifice Maximo, qui tunc temporis ſedem Apoſtolicam gubernabat ad Chriſti fidem propagandam eas in partes miſſam eſſe Doctorum Benedictinorum coloniam, vt fatentur rerum Luſitanicarum ſcriptores*, laudatque in margine *Hiſtoricos de geſtis ab Emanuele Rege Portugalliæ*. Mox ita loquitur. *Patres inſuper noſtri Luſitani in Collegio ſuo Conimbricenſi, alijſque duobus etiam in eo Regno iuuenes enutriunt Monachos, qui ad eandem mittuntur ſingulis trienniis Indiarum expeditionem*. Quàm proiecta Conſtantine, hominis iſtius ad mentiendum audacia eſt? Quos hic laudat rerum ab Emmanuele geſtarum ſcriptores, nec nominat? ſcripſere de geſtis Emmanuelis Ioannes de Barros, Ioannes Oſorius, Damianus Goëſius, ſcripſit etiam Indica illius Ioannes Petrus Maffeius, quos ego omnes diligenter conſului, & niſi fallor, Benedictinæ huius Coloniæ ab Emmanuele in Indiam miſſæ nulla vſquam mentio. Legi quidem in Maffeio lib. IV. Cæruleos fratres in Congum legatos ab Emmanuele magno illius Regni bono; & Franciſcanos in Oſorio lib. II. in Indiam ire iuſſos, gentibus illis ſalutaria Euangelij ſigna inferre, quod ſtrenuè ab illis olim factum, & litterarum monumenta, & hodiernæ ſucceſſorum docent contentiones. Cur Doctorum illorum nomina non prodit? Cur quo anno ſoluerint, qua claſſe nauigauerint, quem

Part. prim. cap. 8. p. 107.

pag. 108.

 Portum

Portum tenuerint, quid rerum ibi egerint, quos Reges, quas gentes Christiano fonte perluerint, quas ibi sedes fixerint, quæ Monasteria condiderint non recenset?

X. *Et olim fuisse negant Antonius Dazius Ordinis Minorum.*

Quàm vereor vt Pseudo-Constantini confidentiam æquo ferant animo Minores, qui se primos Religiosorum omnium, atqueadeo solos, per annos ipsos X L. Indiæ, plurimarumque ad Orientem Regionum horrida noualia, proscidisse laboribus magnis, factámque Euangelij sementem multo sanguine rigasse gloriantur. Tradit hoc disertissimè Antonius Dazius, eius ordinis historicus parte I V. Chronicæ libro L. cap. X L I I. Sed insanabile mentiendi cacoethes Pseudo-Constantinum tenet, cum scribere non dubitet singulis trienniis è Lusitanicis Monachis in Indicam expeditionem mitti manipulos. Hoccine homo sanus scribere ausus est? & mendacij apertè manifestarij argui se non posse credidit? Tuum est Constantine, ne homo vanissimus falsis hisce commentis veris detrahat fidem, Benedictinum hîc vindicem agere; quod vt commodiùs facias, proferam testimonia virorum grauissimorum, qui Monachum vllum Benedictinum hac nostrâ ætate in Indiâ aliquando fuisse disertissimè, ac iurati negant.

Testimonium Emmanuelis Pacieci Ordinis sancti Augustini.

XI. *Et Emmanuel Paciecus Augustianus,*

FRater *Emmanuel Pacieco Ordinis Eremitarum sancti Augustini Congregationis Indiæ Orientalis sacræ Theologiæ Lector, eiusdem Congregationis Diffinitor, & Procurator Generalis in hac Romanâ Curiâ, fidem facio, nullum per totam Orientalem plagam Ordinis sancti Benedicti Monasterium, fuisse hucusque erectum; nullúmque in præfatis Indiæ partibus dicti Ordinis Monachum reperiri; neque vnquam earundem partium Missionibus, & Infidelium conuersioni dictos Monachos intentos vidisse, nec minus audiuisse, imo nec cuiusuis alterius*

alterius negocij caussâ in illis Regionibus detineri. Sed istius sacri Ordinis nomen, & institutum esse omnino gentibus illis ignotum. Quod ego, non solum XXII. annis apud Indiam Orientalem residendo rectè noui, sed præcipuas Orientis missiones, ex Ordinis commissione visitando quasi manibus palpaui; cæterásque ab Oriente ad Romanam vsque Curiam, aliorum Ordinum Missiones peragrando agnoui, ac ita vt relatum est, verissimum esse affirmo, & in verbo Sacerdotis iuro. In quorum fidem subscripsi, & sigillo muniui. Romæ in Conuentu sancti Augustini de Vrbe die 30. Iulij anno 1642.

F. Emmanuel Pacieco, &c.

Loco † sigilli.

Audisne virum grauissimum, & tot nominibus illustrem quàm disertè, quàm sanctè neget testis de visu vt vocant, quod Pseudo-Constantinus chartis temerè illinit? Sed demus alterum & ipsum ab India reducem.

Testimonium Emmanuelis Limæ Societatis Iesu.

Ego Emmanuel de Lyma Lusitanus Olisiponensis Societatis Iesu Sacerdos quatuor votorum Professus, & Lusitaniæ Prouinciarum, tùm Orientalium, tùm Occidentalium in Vrbe Procurator; testor in Indiâ, cæterisque ad Orientem Regionibus, ad quas commeant Lusitani, nullum esse Monasterium RR. PP. Benedictinorum; nullúmque illius illustrissimi, atque sanctissimi XII. *Et Emmanuel de Lima Societatis.*

Ordinis Monachum in illis, Infidelium conuersioni operam dare: imo nec aliorum negociorum caussâ in Indiâ, cæterisque ad orientem Regionibus commorari, nec ad eas nostrâ ætate nauigasse; & Monachorum Benedictinorum sanctissimum nomen gentibus illis penitus ignorari. Hoc ego cum XIII. annis Indiam, aliásque Regiones perlustrauerim in Missionibus varijs, testis de visu sanctè affirmo, & cum iuramento (quatenus opus est) fidem in iudicio valituram facio. Romæ 30. Iulij 1642.

Emmanuel de Lyma, &c.

Loco † sigilli.

XIII. *Monachos è Conimbricâ tertio quoq; anno mitti falsum osten. ditur testimonio Pantaleonis Roderici V. C.*

Addamus adhuc viri doctissimi, publicísque honestatibus longè clarissimi testimonium, quo colonias in Indiam ex Conimbricensi Monachorum Collegio singulis triēnijs à Pseudo-Constantino somniatas ostendamus, hominísque audaciam mentiendi infringamus. Is est Pantaleon Rodericus Pacechus in Academiâ Conimbricensi, totoque Lusitaniæ regno eruditione ac virtute nobilissimus. Recitetur?

Testimonium Pantaleonis Roderici Pacechi.

EGo Pantaleon Rodericus Pacechus ex consilio Regis Portugalliensis & Generali sancti officij affirmo cum iuramento super sancta Christi Euangelia, quod per tringinta annos, quibus partim discendo, partim docendo, Conimbricæ commoratus sum, vidissem sæpius exire ex Collegio Societatis IESV Religiosos missos in partes Orientis deductos publica cum solemnitate, in qua & ego

ego fui. Contra verò per totum tempus neque vidi, neque audiui quòd ex Collegio, quod Religio sancti Patriarchæ Benedicti habet in eadem Academiâ, quisquam ex illis Religiosis in illas partes iuerit. In cuius rei fidem has litteras dedi ad instantiam Reuerendi Patris Procuratoris Societatis IESV Prouinciarum in Regno & Dominijs Portugalliæ. Romæ octauo Septembris, 1642.

Pantaleon Rodericus Pacechus

Loco † sigilli.

Quò te vertes, mi fabuline? Missiones illas tuas ignoraret Pantaleon, si vsquam alibi, quàm in tuâ mendaciloquentiâ instituerentur? Quomodo tam silenter iuuenes illi Academici Conimbricâ in Indiam proficiscuntur, vt nemo eos ibi profectos aliquando sciat? Quis autem hæc magis scire potuit, quàm Pantaleon tantâ cum dignitate annos ipsos XXX. in illius Academiæ luce versatus? Reliqua de Xauerio, & Bouillio, quum de malignitate, atque liuore disputabitur, opportuniùs discutientur.



INEPTIA SEPTIMA.

Ignatium Donatum Benedictinum fuisse, illorúmque habitum gestasse.

I. *Narrationis vanitas.*



HIc iam te propiùs imitatur Constantine, Pseudo-Constantinus tuus, nam de Ignatio Benedictino Oblato creber tibi sermo, sed quod pace tuâ dictum velim, planè fabularis. Rem nouam narras contra historiarum omnium fidem, quarum in re tantâ silentium, quum ab ijs scriptæ sint, qui Ignatio æquales, aut ab illius ore accepta, aut ex alijs diligenter quæsita, fide summâ, ac Religiosissimâ veritate eius gesta litteris commendarunt, fabulositatis reum apud sapientes ne ipsum peragerent, maiori huic Pseudo-Constantino erat ope nitendum. Si quid enim ego intelligo, res tota vel antiquis, atque incorruptis monumentis, vel testium multitudine, vel saltem validis fuerat coniecturis firmanda, quorum quum nihil videam, dabis veniam, si narrationem hanc, suspicionémque inter Pseudo-Constantini ineptias, & quidem palmares computauero.

II. *Orlandini verba malè interpretatur P.-C. & ineptissimè torquet consequutione. Pag. 111.*

Age enim, Pseudo-Constantine, quæ mihi monumenta veterum scriptorum, quem testem hîc laudas? Quem? inquis, cui tu fidem haberi velis maximè. Quem tandem? Orlandinum ipsum; Quónam historiæ loco? Recitantur quidem eius verba, sed quod diligentissimè factum oportuit, locus non indicatur. Et sanè opus non erat, quum vestem Donatorum Ignatio indutam fuisse nusquam dixerit Orlandinus. At, inquit, festinantem Ignatium ad sanctæ militiæ tyrocinium iter in montem Serratum contendisse docet. Ergóne tibi tantundem, hoc est, atque Oblatorum vestem induisse? Audi, Oedipe, nouum interpretandi genus. Ergo quicumque auri, gemmarúmque causâ ad Indos peregrinantur, Indicâ talari tunicati procedunt? somniare hoc quidem est, non scribere. At canonizationis acta Italicè, atque Latinè edita tradunt ad Serratum montem conten

contendisse, vt nouum in eo auspicaretur viuendi modum. Quænam Acta hìc laudas, Pseudo-Constantine, quæ nusquam extant impressa? Sed non isthuc moror, res est in confesso, quid hinc extundat, quæro. Ergóne nouus viuendi modus Oblatorum vestem requirit? An omnes, qui Romæ ad D. Andreæ in Quirinali vitæ, vel in melius commutandæ, vel diligentiùs excolendæ gratiâ, frequentissimè quotannis diuertunt, hospitióque nostro, ac Magisterio, adde aliquando & domesticâ superiori togâ vtuntur, hi tibi habitum nostrum induere dicentur? quis sic te ferat ineptientem? At si tuam illam ratiocinationem vanissimam tueri pergis, hoc dicas necesse est; quo enim me iure, ne eâdem vtar consequutionis lege, prohibebis? Diuertit ad montem Serratum nouum vitæ genus auspicaturus Ignatius; igitur vestem induisse Donatorum verosimile est: cur non & ego dicere possim; diuertit ad D. Andreæ in Quirinali quispiam nouum vitæ modum auspicaturus; igitur Coadiutorum Societatis habitum induit? Eiusdem furfuris sunt, quæ allato Bombini, atque Iepij testimonio docet. Ex eo enim, quòd Clanonio magistro vsus fuerit, atque ad illum in ipso tyrocinio vitæ melioris sæpiùs recurrerit, Benedictinorum Donatum fuisse Ignatium, quis vnquam efficiet? Ego stupiditatem huius consecutionis satis admirari non possum. Pag. 112.

III. *Nec feliciùs ab austeritate vitæ argumentatur.*

Sed perge Pseudo-Constantine. Totum in diuexando corpusculo, eluendísque adolescentiæ maculis Ignatium ea inter initia fuisse ex Orlandino, & Maffeio doces: rectissimè. Verùm vt hoc faceret Donatum illum Benedictinum fuisse tibi consequens est? Minoressæne habitant Donati Benedictini? speluncas incolunt? in nosocomijs diuersantur? hominum saluti procurandæ operam nauant? Quid in illâ Minoressanâ commoratione, quid in illo asperrimo Ignatianæ vitæ genere Benedictini Oblati præter tua somnia fuit? Adeone abiectè de hoc eruditissimo sæculo sentiebas Pseudo-Constantine, vt cuiquam eruditorum te persuasurum tam futili, atque ineptâ ratiocinatione sperares?

IV. *Vel à commoratione in Monte Serrato.*

At menses ipsos tres in Monte Serrato fuit; hoc enim Garibaus tradit. Vide, quàm tecum liberaliter agam, Pseudo Constantine. Garibao tuo, homini, vt eius hæc scripta produnt in alienâ historiâ non nimis accurato, fidem habeo: fuerit ibi tres menses Ignatius, qui tamen paucissimis.

mis diebus fuit; Igitur inter Donatos nomen dedit? Qui hoc dicat, inter ineptos dabit.

V. *Vel à fabula Florentinæ liberationis*

Age rursum, & fabellam, quam à Simplicio Caffarello Abbate Cassinensi audisse te dicis, euulga: Ignatium nimirum Florentiæ anno XXIII. superioris seculi pro errone, aut exploratore comprehensum, vt à satellitibus se expediret, fassum fuisse Oblatum se, & Donatum esse Montis Serrati.

VI. *Quæ recitatur,*

Cùm Ignatium teneret amor sacra loca Hierosolymitana visendi, Minoressa Montisserratoque discedens Barcinonam primò, mox Caietam, Romam deinde transiens, Florentiâ iter habuit (agebatur tamen annus reparatæ salutis M.D.XXIII. quo misera Italiæ facies erat) Florentiam appellens pro vagabundo seu exploratore capitur, abducitur, quæstioni mox subyciendus. Quid hic Ignatius? Ad solitum asylum fugit, ad Benedictinæ, inquam, Religionis patrocinium, vt vnde documenta spiritualia hausisset, corporis inde liberationem hauriret. Fatetur igitur Oblatum se, & Donatum Monastery Montisserratensis Ordinis sancti Benedicti, & felici illo totiésque ei probato clypeo infesti satellitis, ipsum ad tormentum rapientis, conatum eludit. Nam audito Benedictino nomine Religionis, iubetur à Magistratu Florentino dimitti, & ad Abbatiam sanctæ Mariæ, quæ Florentiæ sita est, vnà cum Monastery Abbate Benedicto Nouariensi, qui tum præerat, & qui pro eo comparuerat remitti. Eò autem cum aduenisset, facile causam Abbati probauit suam; nam humanissimè primùm susceptus, liber protinus dimittitur.

Heu! quàm frigida, quàm lutulenta, quàm improbabilis narratio. Tune Constantine, tam barbarè atque inquinatè scriberes? nondum ferulâ manum subduxit Pseudo-Constantinus, & libros scripturit? sed nolo immorari.

VII. *Et reijcitur primum à silentio Historicorum diligentissimorum.*

Narrauerit hæcne Caffarellus, an in rem præsentem à te fuerint, Pseudo-Constantine conficta, nihil moror. Tune Caffarellum hominem nullius in historiâ, aut re litterariâ nominis Ribadeneiræ, Maffeio, atque Orlandino viris clarissimis, ac diligentissimis, nisi per summam confidentiam opponere non dubitas? Confabulationis libertatem

tem cum historiæ seueritate, rumorísque vagam licentiam cum historicâ accuratione componere?

Sed quàm inuerosimiliter fabula narratur? Ignatius *felici, totiésque ei probato clypeo infesti satellitis ipsum ad tormentum rapientis conatum eludit.* Quasi verò Benedictini nominis reuerentiâ sæpius se se periculis exemisset; quid enim aliud ea sibi velint verba *Toties probato clypeo*? Notandum hoc fuit, ne tanquam ansam fabulatoribus (quorum nescio quo fato, ingentique Reipublicæ malo, magnus proximis hisce annis prouentus fuit, & quotidie gliscit audacia) ex qua nouam aliquam fabellam suspendant, relinqueremus. VIII. *Deinde ab admixtâ falsitate manifestâ.*

Sed, rogo te, Ignatium quî nouerat Benedictus Nouariensis Florentini Abbas Monasterij? An Oblatos omnes Montis Serrati, quos octoginta, aut nonaginta vt plurimum, fuisse tradit Iepius à te laudatus, nouerat Florentinus Abbas? Apinæ. Saltem additum fuisset narratiunculæ lepidissimæ litteras suæ professionis, vt mos est, à Clanonio, aut Abbate Montis Serratensi habuisse Ignatium, qua veluti tesserâ agnitus à suis Benedictinis fuisset. *Sed quid illud est. Causam suam Abbati probauit à quo protinus liber dimissus est?* Non igitur probauerat, cùm à Magistratu reposceret. Quid ais fabellarum architecte? adeone temerè fingis, vt tibi non constes? Poëtas fingendi artifices illos elegantissimos, illud in ipsis fabularum figmentis in primis diligenter dispicere, atque accurare nouimus, ne quid in verosimilium narratione dicant quod falsi ex ipso rerum ordine conuincatur; sed vt narrationis membra omnia inter se apta, & connexa conforment. Sed hæc elegantiorum hominum sunt, quæ circumforanei agyrtæ, ac nugiuendi minùs curāt. Repetijt à Magistratu Abbas Ignatium. Quæro, quo iure? audio, Oblatum nimirum suum. Sciebat igitur huiusmodi esse; quî enim aliter, nisi summam per impudentiam, & mendacij licentiam, repeteret? Sciebat? non quæro vnde, sed illud interrogo, si nouerat in foro & curiâ, domi iudicium cur instituit, probatâque Ignatij caussa liberum hominem dimittit? Quis credat Abbati Ignatium reposcenti, nec sui Ordinis hominem esse affirmanti a Magistratu fuisse redditum? Affirmare quî poterat, nisi caussâ cognitâ, quod hîc domi factum tradis? IX. *Tum ab implicatione manifestissimæ inuerosimilitudinis,* Pag. 114

P Rursum

Rurſum quid opus fuit de cauſsâ cognoſcere? Si minus ſe Abbati probaſſet Ignatius, Magiſtratui ad queſtionem ab egregio illo Abbate redderetur? Inexplicabiles hîc in plagas ſe induit Pſeudo-Conſtantinus. Quid leuius Magiſtratu, qui Abbati hominem neſcio quem, ſuſpicioſis vſque temporibus, pro exploratore, aut errone captum, nihil in medium afferenti vltro tradit? Quid improbius Abbate, qui ſuum illum eſſe affirmet, de quo nihil adhuc certò cognouit? Quæ enim alia cauſſa Abbati fuit cognoſcenda, quàm ea, de qua agebatur?

X. *Et à ſilentio Ignatij.* Adde quòd rem tantam Ignatium, quem gratiſſimi animi fuiſſe nemo niſi perditè impudens negabit, ingratiſſimo ſilentio diſſimulaſſe conſequens ſit. Cùm enim captum ſe aliàs, habitúmque pro exploratore ab ipſis ſuis Hiſpanis narrauerit, idque Ribadeneïra, cæteríque prodiderint; cur ſi ab illo Florentinum hoc periculum auditum fuit, poſteritati non tradiderint, nulla afferri poterit cauſſa; & mihi quidem vetera ob hanc ipſam cauſſam excutienti, nulla tamen nobilis periculi obſeruata veſtigia ſunt.

XI. *Occaſio fingendi quæ fuiſſe videatur.* Verùm quia in eo itinere multa aſpera perpeſſum fuiſſe Ignatium, ſcribit Maffeius; opportunus locus viſus eſt fabellæ collocandæ. In quo Pſeudo-Conſtantini, & N. (Quamquam virum nobiliſſimum, atque religioſiſſimum, cum hoc obſcuro, impuróque fabulatore comparare nolim) ingenium ſimillimum Coſmographis illis mihi videtur, qui ne qua terrarum pars inanis appareat, vbi Oppidorum ſedes, vel vaſtitate, vel ignoratione regionum notare integrum illis non eſt; animalia monſtroſa gentiumque vltimarum ritus, habitúſue depingunt. Haud aliter, quia & huius ærumnoſi itineris anni XXIII. & commorationis item Venetæ anni XXXVI. momenta omnia rebus geſtis conſignata non ſunt, liberum illis fuit appingere, quæ in rem ſuam facere crediderunt.

XII. *Nulla tam nobilis fabulæ memoria Florentino. eſt in Monaſterio.* Cæterùm quonam tandem modo id à Caffarello reſcitum velit fabulator, interrogandus nobis eſt, Conſtantine. Rem enim ante integrum ampliùs ſæculum geſtam, vel ex antiquis tabulis, vel certè incorrupta, atque à maioribus ad poſteros delatâ famâ, qui ſine leuitatis notâ narraturus eſt, accepiſſe oportere, nemo ſanus negabit. Prouoco ergo ad Florentini Monaſterij perantiqua monumenta, quæ à te, Conſtantine, in omnem Benedictini nominis antiquitatem, vt eius vndicem decet intentiſſimo excuſſa fuiſ-

ſe

se, non dubito, & si huius fabulæ vel leuissimum, ac fugiens vestigium in illis obseruauit Pseudo-Constantinus, caussa me totâ victum vltro fateor. Verùm si nusquam in omnibus illis membranis, tabulísque Ignatij Loiolæ nomen occurrit, cur non hunc ego hominem audacissimum dicam? Prouoco rursum ad Monachos illos omnes, qui eiusdem Monasterij diutinâ habitatione, magnisque suis virtutibus clari Florentiæ viuunt; Si illorum testimonio Caffarelli narratiunculam à fabulositate vindicare poterit Pseudo Constantinus, iterum me victum esse concedam. Sed si nemo de hac re totâ, ante editum ab illo libellum, quidquam audiuit; si nemo quidquam in veteribus monumentis legit, si nemo de hac tam inauditâ fabella, luculentóque mendacio somniauit; si omnes, cùm id tuo nomine vulgatum fuisse acceperunt, cùm oculis suis obtrusam sæculo pereruditо fabulam legerunt, tantum cuiquam mortalium audaciæ fuisse admirati sunt, vt tuo nomine, quasi fabularum, & mendaciorum architectus esses, vigilantis sui in nos odij somnia inanissima vulgare non dubitauerit, eorúmque omnium, quæ tu laboriosa tot annorum indagatione ad Benedictini nominis amplitudinem ex antiquitatis obliuione vindicandam, in lucem emersisti, fidem infringere, auctoritatémque detrahere se omnem non animaduerterit, ego certè Caffarelli nomine confictam esse narrationem iure quàm optimo credam.

Et sanè si nomini tuo infensissimus quispiam plagam illi lethalem imponere voluisset, non aliam potuit luculentiorem, quàm vt fabulæ te fabrum, atque architectum vulgaret. Quis enim ex eâ sibi officinâ veritatem petendam putet, in qua fabulæ procuduntur, & additis illustribus nominibus, vt huic Caffarelli Abbatis factum est, veluti adulterini nummi virorum magnorum imagine percutiuntur. Quæ cùm ita sint, vides profectò, Constantine, quàm malè de tuo [n]omine, ac famâ meritus sit Pseudo-Constantinus, quem [i]mpostorem si dixeris iustissimo cum nomine appellabis. XIII. *Quare à P-C. luculenta iniuria vero Constantino fit.*

Producit post Caffarellum Pseudo-Constantinus Henricum de Zipe, hominem hostilia in nos ausum, quique, cuiusdam, & alterius narratione rem confirmans, cùm testes, ne suo quidem nomine, appellet, quam fidem mereatur, nemo non videt. XIV. *Henrici de Zipe testimonium vt hostis reijcitur.*

XV. *Et Matthæi Laureti, vt confictum,*

Demum ex Matthæo Laureto Abbate, qui Ignatium nouisse potuit (quasi verò ea magna sit commendatio) cui si nulla maior accedit, boni æqui consulet, si testem hunc clancularium, & illi nescio vnde natum iure meo recusauero. Nam cùm ab illo se audisse Pseudo-Constantinus dicat, nec testes auditionis adhibeat, suâ solùm fide agit, quæ, vt hominis hostiliter infensi, & dubia vbique, & nulla hîc mihi est.

XVI. *Et Martyrologij Monastici, vt à Constantino compositi, ac proinde impudentissimè à P.-C. eius nomine citati.*

Sed quid ego martyrologium illud monasticum dissimulo? Iam prædixi, mihi illius tantam auctoritatem non esse, cùm sine legitimis testibus narret; & quisquis illud meditatus est, vnius & recentioris loco est, qui magnifico quamuis nomine non me teneat. Et verò quæ tua frons esset Constantine, quis pudor, quæ fides, si tu libelli auctor esses testem te ipsum laudare? Quis enim alius inediti huius martyrologij auctor, quàm Constantinus Caietanus, qui inter egregia, sed tantùm affecta operum suorum meditamenta id se habere Leoni Allatio V. C. professus est, vt illo etiam nomine Vrbanas suas Apes in nouâ earum recensione augeret? Quî ergo, nisi per summam impudentiam, te ipsum testem laudare poteras, Constantine? quæ tanta audacia cùm à tuâ ætate, atque Ordinis quem profiteris, sanctimoniâ longissimè debeat abesse, quàm ineptè, atque impudenter egerit Pseudo-Constantinus, qui martyrologij Monastici mentionem iterum facere non dubitauit, iterum hîc mihi monendus fuisti Constantine, vt tibi

XVII. *Monitum de libris historiæ Sanctorum Siciliæ ab Octauio non à Constantino Caietano scriptis.*

me luculentam operam, in eius fallaciis detergendis præstare non dubites, mihique ob hunc ipsum laborem gratias agas.

Verùm quando de grandi illo librorum à te affectorum censu sermo incidit, hîc eruditos omnes monitos velim, te, qua es in Octauium fratrem charitate, nobilem illius, sed posthumam prolem *De sanctis & Beatis Insulæ Siciliæ cum notis, & animaduersionibus* adoptasse, atque inter ingenij tui fœtus adnumerasse. Oblitum arbitror eumdem te longè aliter, verè nimirum, in Gelasij II. vitâ in hæc verba scripsisse. *Et quidem meritò id fauoris creditur consequutus.* (vt se illi ante obitum vniuersa Siciliæ Insula sanctis Martyribus, Confessoribus, ac Virginibus in eâdem Insulâ celebribus immenso splendore irrigata

gata

gata obijceret videndam) *Nam cùm istorum Siciliæ Sanctorum res gestas in magna duo volumina indefesso labore collegisset, scholiisque eruditissimis illustrasset*, &c. Hæc tu ibi, qui deinde apud Allatium in censu librorum affectorum atque edendorum reponis: *De Sanctis atque Beatis Insulæ Siciliæ cum notis atque animaduersionibus.* Sed nihil fuit caussæ, cur id ageres; quamuis enim libros eos nondum edi iusserit Societas nostra, in qua Octauius magnâ virtutis, atque eruditionis famâ vixit, id tamen propediem faciet, receptósque à te quamuis tergiuersante per Iosephum Spuccium superiore anno libros optatissimos euulgabit.

Vidimus iam testium vanitatem, nunc ad coniecturas, quæ longè adhuc sunt infirmiores, transeamus, Constantine. Coniecturæ illæ duæ sunt, quòd & tres ipsos menses in Monte Serrato fuerit, & veste coloris cinerei rufescentis, post acrem illam valetudinem, vsus fuerit, habuerítque pileolum ex eodem panno, qui Pseudo-Constantino ipsissimus Oblatorum habitus est. Vtraque coniectura leuior est, quàm vt tantæ rei pondus ferat; & altera quidem manifestò falsa; altera etiam ex parte. Aio igitur post elutas per confessionem animi maculas apud Clanonium, & celebre illud ad aram Virginis peruigilium, statim à Monte Serrato discessisse Ignatium, & quidem vix albente die, vt tradit Ribadeneira, suo illo sacco, quem in eum vsum parauerat, indutum, in eóque itinere misso viatore iussu Magistratus interrogatum, num suas vestes pauperi dedisset, qui ob illas furti arcesseretur? Itaque ne homini innocenti malum silentio crearet, modestè id, quod factum fuerat, prodidisse. Quæ quum à Ribadeneira iurato teste tradantur, tota illa inter Monachos commoratio manifestæ fabulositatis arguitur, & Garibai dictum conuellitur. XVIII. *Ignatius paucissimis diebus in Monte Serrato fuit.*

Altera de habitu adeo leuis est coniectura; vt vix eam refellere operæ pretium sit. Cinereo ex panno rufescente vestem duplicem induit, sanitatis tuendæ caussâ, Ignatius. Igitur Donatorum Benedictinorum vestem induit. Quis Logicorum, sic te ferat enthymemata torquentem? Habeo hîc Pisis Concionatorum domestico ministerio additum hominem cæruleo panno amictum, quis me non rideat si eum ex Cæruleis Fratribus ab Emmanuele Lusitanorum XIX. *Donati habitus à colore panni ineptè probatur.*

norum Rege in Congum olim immissis esse contendam? An ex panno coloris eiusdem tunicæ diuersæ confici non possunt: & quicumque illius coloris talari amiciuntur, hi omnes Benedictini Donati erũt? Vide quam leuibus nitaris; de formâ, modóque vestis, de cingulo, de calceamentis fuerat minutatim differendum, vt aliquid dicere videreris.

XX. *Ferrugineam vestem induit Ignatius sub extremam commorationem Minoressæ.* Sed quæro ex te Pseudo-Constantine inconstantissime, quonam demum tempore vestem illam cinerei rufescentis coloris, vt amicis, & fatiscenti valetudini aliquid daret, induisse Ignatium dicas? nulla dubitatio; postquam semel iterúmque periculosissimè ægrotauit, id enim à nostris hominibus proditum ipse non reijcis. At hæc sub exitum Minoressanæ commorationis contigisse, quum & res ipsa loquatur, & tibi non improbetur, qui dicere audes, illum Benedictinum Donatum induisse, quum à Monte Serrato diuertit, aut certè paulò post? An aspero, & rudi sacco, quod ab Ignatio factum in Actis Barchinonensibus legimus, Donati amiciuntur? an catenæ horrido cinctu vtuntur, quod de Ignatio Minoressæ agitante testes in publicis tabulis docent? Sed ego diù nimis extra lineas vagor, & coniecta à Pseudo-Constantino tela vitabundus exeo.

XXI. *Transmissam à* Mutio Vitellesco *ad* Montem Serratum *tabulam, in quo Ignatius Donati habitu visatur scribit P-C.* Testem iam aduocat virum, cuius ego auctoritatem amantissimè amplector; virum, de cuius fide, atque prudentiâ nemo non modò nostrorum hominum, sed ne exterorum quidem vnquam dubitauerit; virum cuius humanitatem te sæpius expertum non negabis, Constantine. Is est Mutius Vitellescus Societatis nostræ Præpositus Generalis, quo indice si vti velit Pseudo-Cõstantinus non reiicio, cur autem iudicem nolit, quem testem laudat? Ait igitur à Mutio transmissam in Montem Serratum eximiè pictam tabulam, in qua Ignatius ante Virginis aram procumbens, Donatorum in habitu conspicitur, vt vel nostrâ confessione tàm publica res ipsa teneatur. Quid hîc ego contra Mutium mutiam? Audi, Constantine, si quidquam huiusmodi à Mutio factum aliquando probauerit Pseudo-Constantinus, tum ego me non modò victum fateor, sed nullam audaciæ meæ, quasi veritatem oppugnauerim, pœnam deprecor. Sed facit ille quidem more periclitantium in mari, quum diffractâ naui, fluitantes tabulas complectuntur; & longè adhuc deteriori sorte id facit; nam illi quidem tabulis innatantes litus aliquando tenent, hic ad mendacij scopulos alliditur.

Quid

Quid enim? Ignatiúſne in illo celebri peruigilio Donatorum veſtem induerat, quam vel ipſo teſte Pſeudo-Conſtantino, poſt aliquot demum menſes, valetudinis cauſsà induit? Iuſſit quidem Mutius, vir & ſuopte ingenio, & Societatis cui XXVIII. annum iam moderatur genio gratiſſimus., tabulam illam pingi, atque ad Montem Serratum deferri., vt Abbati religioſiſſimo, qui conuerſionis Ignatianæ monumentum ibi excitabat, rem faceret gratam, adeóque Ignatium nouo, eóque pœnitentis habitu effingi. Cæterùm non magis illum Donatum Benedictinum, quàm Donatianum aliquando fuiſſe cogitauit. Et verò ea eſt ſapientiſſimi, ac prudentiſſimi viri rerum noſtrarum ſcientia, is amor veritatis, ea demum grauitas, vt huiuſmodi fabellis vix aures poſſit accommodare. Interrogari à te facile poterit, Conſtantine, vt Pſeudo-Conſtantini impudentem fingendi mentiendique licentiam eius teſtimonio compeſcas; quod ſi limen tibi olim peramicum & quum res tua tulit, ſæpius tritum, quódque etiam parum beneuolis patet, Pſeudo-Conſtantiniano hoc veneno imbutus iam refugis; egone id non ſine rubore facere habeas neceſſe, ipſius Mutij chirographum, quo Pſeudo-Conſtantinianæ leuitatis vanitatem arguit, hîc proferam, vt ſciant poſteri, hominem hunc mendaciorum loquentiſſimum fuiſſe. Recitetur. XXII. *Quod improbabiliter dicitur,*

Teſtimonium Mutij Vitelleſchi, Societatis IESV Generalis.

Ego Mutius Vitelleſcus Soc. IESV Præpoſitus Generalis ſanctè affirmo, me nunquam iuſſiſſe S. P. N. Ignatium Donati, ſiue Oblati, ſiue Conuerſi, vt vocant, Benedictini veſte indutum depingi, neque huiuſmodi tabulam ad Montem Serratum tranſmiſiſſe; neque verò id facere potuiſſem, quod falſiſſimum id eſſe mihi perſuadeam, mirórque à quopiam nomen meum, & factum, me adhuc viuente in teſtimonium compertiſſima XXIII. *Et ipſius Mutij teſtimonio mendacij conuincitur.*

mæ falsitatis aduocari: tabulam ego aliquot abhinc annis ad Montem Serratum transmitti curaui, in qua Sanctus Pater ante Virginis aram orans, & sacco indutus repræsentaretur, idque, vt N. N. Abbatis eius Monasterij, quem conuersionis Ignatianæ monumentum excitare acceperam, pium studium quantulacumque hac grati animi significatione iuuarem. In quorum fidem has litteras manu mea subscripsi, & sigillo Societatis muniri iussi. Romæ 17. Iulij anni 1642.

Mutius Vitelleschus.

Loco † sigilli.

XXIV. *Impudentia P. C. de Theatrali veste mentientis palam fit.*

Superest adhuc violentissimum telum, quod non septemplici clypeo repellam; sed leuissimâ inficiatione refutabo. Benedictini Oblati cultu semel, iterúmque productum à nobis in Scenam Ignatium fuisse mentitur. Credéntne posteri, hominem hunc tam effrontem fuisse, vt quod paucos ante annos totâ spectante Vrbe factum est, tam alienâ narratione peruertere ausus fuerit? Bis, opinor, ea Ignatij ad meliorem frugem conuersio spectata in theatro est: Primum anno sæculi XXII. Drammate Ideo-Practico à Vincentio Guinisio limatissimæ elegantiæ, & acerrimi iudicij viro, eo fine composito, quod à Seminarianâ iuuentute in Collegio Romano quinquies datum, semper placitum est. Iterum anno XXIX. Italicis modis, vt ad plebem etiam ea voluptas, & quæ ex Sanctorũ gestis redundare solet vtilitas, pertineret. Nam cùm doctrinæ Christianæ elementa addiscentibus pueris eam Ignatij conuersionem publico edere spectaculo permittere visum esset; Symphoniaci deinde nobilissimi, quò res esset illustrior, agere voluerunt, quorum pietas, atque humanitas repudiari sine iniuria non potuit. Supersunt qui Ignatium egere. Quin tu igitur Constantine, Pseudo-Constantinum tuum adire iubes ad Iulium Mazarinum Cardinalem, cui vt ingentis indolis, & suæ iam tum prenunciæ felicitatis adolescēti

primæ

primæ partes, quamuis non Seminariano, vltro delatæ sunt. Discet ab eo non Benedictini Donati habitu, sed rudi asperáque in veste productum. Verùm indignus homo iste est, qui purpuratum Patrem appellet: Ad plebem illum, quæ anno XXXIX. plurima interfuit, reijcio; innumeros enim illius mendacij testes habeo, Vrbem ipsam. Quid ego huic tuo Pseudo-Constantino credam vetera componenti, qui tantâ confidentiâ recentissimâ adhuc rerum memoria non lectoribus, sed visoribus imponere se posse confidat? Cæterùm, si rem veram narrat, edat ex Montis Serrati tabulario Donatorum nomina, quæ in publicas Monasterij tabulas referri certum est. Sed frustra Æthiopem lauas, Constantine; mentiri, ac scribere huic homini eadem sunt.

XXV. *Tertio mendacij arguitur P.-C. de veste Donati quam in nostrâ Romanâ Professorum domo seruatam ait.*

Porrò quàm nullâ veri, ac falsi curâ, diligentiáque scripserit Pseudo-Constantinus, satis euincit vestis illa Ignatij ferruginea, quam etiamnunc à nobis asseruari, & ostendi in Professorum Domo Romæ scribit. Aio enim, vt latinè loquar, illum mentiri, Constantine. Et sanè si apud extremos hominum Iapones scripsisset Pseudo-Constantinus, excusari posset; nunc verò, quum tuo nomine scribat, tibique in Vrbe degenti, & nobis non ita pridem peramico hæc inuestigare facillimum fuerit, nullus homini adeo indiligenti veniæ locus est. Verùm, ne mihi vni credere, ac cedere cogatur Pseudo-Constantinus, audiat iuratum testem Ioannem Baptistam Vanner, hominem Germanum, cui proinde iniuriato etiam credat, qui supra hos XX. annos Ignatiana olim cubicula, quæ, nunc sacra Deo conclauia, adeuntium, venerantium, ac Deo ibi sacrificantium Prælatorum, Episcoporum, & Cardinalium frequentiâ toto anno nobilitantur, festa verò Ignatij luce incredibili totius Vrbis, ac sacrorum hominum concursu longè celeberrima sunt, ædituus curat. Is, qui olim quidquid vestium Ignatij nostrorum hominum modestiâ, ac propè dixerim, indiligentiâ nobis Romæ reliquum fecit, antequam aliò aueherentur in Prouincias venerationis ergo habuit in manibus, suo testatur Chirographo, quod latinè sic habe.

Teſtimonium Ioannis Baptiſtæ Vanner Societatis IESV.

XXVI. *Idque teſtimonio Ioannis Baptiſtæ Vanner.*

EGo Ioannes Baptiſta Vanner Societatis IESV Coadiutor temporalis, formatus annorum octaginta duorum teſtor, etiam cum iuramento quatenus opus eſt in iudicio valituro, me veſtes omnes, quæ ex illis, quibus olim vſus fuit S. P. N. Ignatius, ad nos peruenerunt, in hac Domo Profeſsâ Romanâ ab vſque anno XCVI. ſuperioris ſeculi ſæpius vidiſſe, ac tractaſſe, ab iſtis verò proximis XX. habuiſſe ſub meâ cuſtodiâ, nullamque ex illis quidquam Benedictini ſchematis, ſiue quo Monachi, ſiue quo Oblati, Donatiue vtuntur ſimile præ ſe tuliſſe, ſed eiuſdem prorſus formæ, ac illæ quibus clericorum more vtuntur hodiéque Societatis Patres, Fratreſque, eâdem ex materiâ fuiſſe, licet vſu admodum detritâ, & quæ paupertatis amorem in S. P. N. teſtaretur. Iam verò vix ex illis quidquam domi ſupereſt, cùm aliò venerationis gratiâ vt ſancti Reliquiæ, aſportatæ fuerint. Dimidia tantum caſula, vnuſque mihi ſuperfuit lineus thorax, multo B. P. ſanguine imbutus; nam eo poſt acerrimas flagellationes, ne ſanguis in ſubuculâ appareret, ob humilitatem vtebatur, quem argenteis incluſum thecis reliquias inter ſancti Patris noſtri piè omnes veneramur, in quorum fidem hæc manu ſubſcripſi ac ſubſignaui, rogauique P. Valentinum Mangionum huius Romanæ

næ domus Viceprępositum, vt sigillo suo muniret. Romæ Idibus Ianuarij anno 1643.

Ego Ioannes Baptista Vanner affirmo, vt suprà manu propriâ.

Locus † sigilli.

Scio quid hominem captandis consarcinandísque rumusculis malè feriatum, falsâ opinione deceperit. Quoniamenim primis olim Patribus crassior illa, qua domi vtimur superiori lacerna natiuo Hispaniæ lanæ colore fuit, cuiusmodi etiam nunc Hispanienses vtuntur, illicò, quia ex cireneo rufescere quodammodo videtur, in illam inuolauit Pseudo-Constantinus, quasi verò Oblatorum ea ipsissima vestis esset; nam huiusmodi ab Ignatio olim vsurpatam, ac Romæ diù seruatam fuisse, amicus monuit. Si iocari libeat, coruo illi, quem ne in libellum purpureo amictum panno, veluti in carnis frustum impetum faceret, facetissimus Poëtarum Italicorum timebat, similem Pseudo-Constantinum esse dicam; certè monendus est XXVII. *Quid P-C. deceperit.* Caporalis in Mecœnatis vita.

Nimiùm ne crede colori.

Si vbicumque colorem illum viderit, Oblatos, Donatósue sibi occurrisse credat, acta res est.

Cæterùm quàm vera de Montis Serrati tabulis, in quibus nullus vsquam Ignatius (siue vt Pseudo-Constantino magis sapit, Enneco occurrit) mea fuerit coniectura; quamuis diligentissimi accusatoris silentio satis constet, attamen vt certiùs adhuc res tota teneatur, Iacobi Puchij viri è Societate nostra grauissimi epistolam, quam Barcinone anno superiore CIƆIƆCXLII. Pridie Kal. Ianuarias ad Ignatium Victorem, qui Præposito Generali ab epistolis Hispaniensium Prouinciarum est, Romam dedit, recitare operæ pretium erit. Plura enim habet, quæ tuâ egregiâ cum laude, Constantine, audaciam improbissimi impostoris validè frangunt, & fingendi, mentiendíque licentiam grauissimè accusant, & quæ hactenus diximus, aliqua etiam ex illis, quæ dicturi sumus, egregiè confirmant. XXVIII. *Conf. manetur pleraque ex dictis epistolâ Iacobi Puchij.*



EPISTOLA IACOBI PVCHII, AD IGNATIVM VICTOREM.

XXIX. *Viri Constan-tino noti & amici*



VPERIORIBVS diebus venit mihi in manus liber Domini Abbatis Constantini Caetani, Venetijs editus, & Patribus Fratribúsque Societatis IESV, dicatus. Ego eo viso plurimùm gauisus sum, facilè persuasus librum perhonorificum nostro nomini esse; quòd ab homine graui, & docto esset, quo cum ego anno huius seculi X L. cùm Procurator huius Prouinciæ in Vrbem venissem familiariter egeram, viderámque quàm frequens Domum nostram Professorum ventitaret, quámque familiariter nostris hominibus vteretur, nec oblitus eram Dominum Abbatem per occasionem non dedignatum mihi gratificari, ac mandare, vt in inuestigandis vitâ, & moribus Boylij Monachi ex Ordine sanctissimi Patris Benedicti, qui olim in Monasterio sancti Michaëlis, quod de Caixa vulgò dicitur, dixit, operam nauarem, quod per hosce bellicos tumultus me præstare non potuisse Dominum Abbatem per litteras monui. Hæc omnia

nia persuaserant, librum huiusmodi esse, qui hominem tam pium, ac nobis peramicum deceret.

XXX. *Eius de libro P.-C. iudicium.*

Verum paucis paginis lectis, adeo me opinione mea falsum sensi, vt vix mihi de titulo, ac dedicatione crederem; itaque iterum attentiùs legerem; quod cùm facerem, animaduerti librum, sine Auctoris consensu, temeritate Typographi editum fuisse: id aliquâ ex parte dolorem minuit, quem conceperam, quòd homo, qui se amicum Societatis profiteretur, huiusmodi typis vulgasset, sine diligentiori veritatis inquisitione, quæ tàm longè à veritate absunt. Itáque quia hæc, vel scripsisse, nedum in lucem edidisse indignum prorsus est Domino Abbate, quæ ad hunc Principatum Catalauniæ spectant breuiter percurram; nam si reliqua similia sunt, magna me tenet spes fore, vt Dominus Abbas ea diligentiùs consideret. Sanè si plura huiusmodi libri exemplaria huc adlata essent, seueritatem sacrorum Quæsitorum non effugeret; quòd lege ab his lata, ne Religiosæ familiæ scripto, aut etiam verbis inuicem incurrant, teneatur. Sed vnicum huc delatum faciliùs latet quàm feliciùs.

XXXI. *In Martyrologio Monastico, quo vtuntur Monachi Montis Serrati nusquam Ignatius vel Enneco legitur.*

Vt igitur ea, quæ Catalauniam nostram attingunt, examinem, principiò ex Martyrologio Monastico sancti Benedicti fragmentum benè longum affertur, quod Kalendas, vt loquimur, Natiuitatis Dominicæ exæquet, eóque tantùm collimat, vt stabiliat, sanctum P. N. Ignatium religiosum Oblatum sancti Benedicti fuisse. Ego quodnam sit huiusmodi Martyrologium ignoro. Illud scio in Monasterio Montis Serrati, in quo Auctor sanctum Ignatium Oblatum fuisse contendit, librum

haberi hoc titulo. Martyrologium Sanctorũ Ordinis D.Benedicti: Auctore P.Hugone Menardo Religioso Benedictino Cõgregationis S. Mauri: *Impressum Parisijs anno* C I Ↄ I Ↄ C X X I X. *& dicatũ Principi Henrico à Lotharingia Abbati sancti Dionisij. In hoc Martyrologio Pridie Kalend. Augusti, nullus legitur Ignatius, siue vt Auctor loqui amat, Enneco. Quod si vsquam in aliquo Monasterio elogium illud legi debuit, profectò in hoc Dominæ nostræ Montis Serrati legi par fuit; cùm de illius Filio eiúsque gloriâ agatur, quæ in ipsius Monasterij decus non exiguum redundat. Sanè quo anno Ignatius in Sanctos relatus est, illicò diem eius festum perhonorificè Patres Montis Serrati sibi agẽdum putarunt, méque illuc aduocarunt, vt de illius laudibus sermonem haberem; neque id temporis, neque vnquam postea huius Martyrologij mentio illata est.*

XXXII. *Nec in tabulis, in quas referuntur nomina Monachorum, & Oblatorum,* *Sumit sibi Auctor sequentibus capitibus S.P.N. Ignatium Oblatum olim Benedictinum fuisse, quod nullâ ratione probat. Vera enim dicti probatio fuisset, antiquas Montis Serrati tabulas, aut certè famam à maioribus acceptam produxisse; verùm hæc contra sunt. Liquidò enim constat, neminem vnum Monachorum, in Monte Serrato hæc somniasse. Quid in publicis Monasterij libris, tabulísue habeatur, iam prodam, ac nequid ad fidem faciendam desiderari possit, publica confici documenta curaui à Sigismondo Ventallol ex pago Esparaguerá, Monasterij publico Scribâ, eáque Reuerentiæ vestræ transmitto. Duo igitur libri tantùm sunt, in quos referuntur nomina eorum, qui Ordinem ingrediuntur.*

In

In primo Monachorum, atque Heremitarum omnium nomina leguntur, ab anno vsque C I Ɔ C C C C X C.*quo Cisnerio quodam illuc Pinciâ cum X. socijs aduecto Auctore cæpit reformatio.Eo in libro neque in Monachorũ, neque in Heremitarum numerum duobus annis XXI. & XXII. superioris seculi quemquam esse relatum non legimus, cùm præcedentibus, & consequentibuo multa nomina legantur. Altero in libro fratres Laici, qui Donati dicuntur, scripti sunt: incipit eorum albus ab anno X X V. superioris item seculi; neque ante illud tempus cuiusquam siue Donati, siue Oblati nomen vsquam adnotatum habetur: quod, & initio libri legitur, & disertè admonet Frater Ioannes Garinus Monasterij Mõtis Serrati Historicus. His igitur publico testimonio stabilitis, vndénam haurire potuit, siue Auctor, siue alius quispiam sanctum Ignatium Oblatum, Donatúmue fuisse; cùm neque maiorum traditione id constet, neque vllæ illorum temporum tabulæ supersint? Profectò nisi Auctor conspicilijs scientiæ mediæ (vt Domino Abbati de Ioanne Eusebio Nierembergensi iocari libuit) id vidit, vnde id possit eruere, non video. Argumentum verò à potentia ad actum: potuit esse, ergo fuit, quàm validum sit, palàm est.*

XXXIII. *Nec in tabulâ à Mutio transmissa Barcinonem, indeque ab ipso Puchio ad Montem Serratum, Oblati inueste visit, sed suo in sacco.*

Allegat Auctor factum Patris Generalis, quod à Patribus nostris Romæ se accepisse, ob eámque rem admodum gauisum esse scribit: transmissum scilicet ab illo ad Montem Serratum Oblati habitu depictum in tabulâ Ignatium. Fallitur immane quantùm; ea enim tabula in meas venit manus cùm anno X X I. aut X X I I.

Collegia.

Collegio nostro Barcinonensi Rector moderarer, eáque adhuc superest in sacrario Montis Serrati, & ibi visitur sanctus Pater noster rudi amictu (Sagal dicimus) pauperum peregrinorum more, & non eo habitu, quo Donati, siue Oblati, siue Laici dicti Monasterij vtuntur, & nos dicimus, Buriel.

XXXIV. *Vt nec in alijs tabulis gesto um ibi ab Ignatio.* *In ipso verò altari, quod in sancti Ignatij honorem dedicatum est, cùm pleraque illius gesta, & præcipuè in eá sacrá Domo, ac Monte depicta videantur, nusquam Ignatius in veste Oblati conspicitur, sed aut nobilis equitis, aut pauperis peregrini. Profectò si vsquam id, quod Auctor fingit, notandum fuerat, locus nullus tabulis illis opportunior excogitari poterat, ad memoriam enim rerum ibi ab Ignatio gestarum, & sacra cella à fundamentis erecta, & altare in noua Ecclesia dedicatum est.*

Porrò veteri in Ecclesia lapis est, in quo res ibi ab Ignatio gestæ sine vlla Laicismi memoria, quem Abbas passim inculcat, in hæc verba leguntur.

XXXV. *Nec quidquam huiusmodi habetur in veteri inscriptione.* Beatus Ignatius à Loyola hîc multa prece fletúque, se Deo, Virginíque deuouit: hîc tamquam spiritualibus armis sacco se muniens pernoctauit. Hinc ad Societatem Iesu fundandam prodiit. Anno 1522. *Optimus hic locus erat opinioni Auctoris confirmandæ. Verùm ea non firmis, vt fundamento, lapidibus, sed euanidæ nititur lubentiæ. Eadem in Piramide ad portam hospitalis sanctæ Luciæ leguntur Minoressæ.*

Itaque

Itaque neque in Monte Serrato, neque in toto Cathalauniæ Principatu cuiquam venerant in mentem ab Auctore narrata, quæ cùm hic gesta dicantur; hinc profectò primum audiri par fuerat.

Absolutis his quæ ad Oblatismum pertinent, aliquid adhuc de Exercitijs addam; nam ea ad hunc spectant Principatum. Ea igitur negat Auctar opus esse sancti Ignatij; sed eius Cisnerij, quem Monasterij Montis Serrati reformatorem fuisse docuimus. Scripseritne latinâ an vernaculâ linguâ, non quæro; quamuis secundum mihi verosimilius videatur. Scripsisse verò peculiari è Cœlo luce, sanctissimæ Matris ope à Deo edoctum dum in Minoressana solitudine ageret, certissima in ea Vrbe, totáque regione à parentibus ad natos per manus transmissa traditio est: Immò illis vsus Exercitijs Barcinone Monasterium Virginum huiusmodi opis indigum ad meliorem frugem reuocauit. Nec plura his addo; quæ enim Dominus Abbas profert argumenta, constantis contrariæ traditionis vim non ferunt. XXXVI. *Exercitia Minoressæ condita constans ibi traditio.*

Addam tamen verbum de viso illo admirabili, auditisque dulcissimis Christi verbis, Ego vobis Romæ propitius ero. *Admiratur enim in sacris tabulis depictam conspici huiusmodi historiam, &, nescio qua auctoritate, se rerum huiusmodi censorem constituit. Ego id referam, quod mihi exploratissimum est, quinquaginta scilicet ab hinc annis in templo Barcinonensis huius nostri Collegij propolam huiusmodi tabulam propositam fuisse, magnáque venerantis populi pietate cultam, adeóque antequam in Beatos referretur Ignatius: mul-* XXXVII. *Visum admirabile olim Barcinone depictum, & populorum pietate cultum.*

ta etiam, & magna diuinitus ibi patrata fuisse miracula.

XXXVIII. *Antiquarum imaginum in Ecclesiâ fides olim quanta.* *Itaque non mihi videtur pietatem olere, quod Auctor, qui se admodum pium & deuotum profitetur, tàm nulla caussa rem publicâ populorum veneratione tàm diù receptam abolere conetur. Sanè antiquitas harum imaginum Auctorem meritò sufflaminare potuit; cum præsertim tantùm antiquis imaginibus ab Ecclesiâ in ipso grauissimo Canonizationis iuditio tributum sciamus, vt solâ illarum traditione comprobata miracula receperit, quod in sancti Raymundi à Pennafort celeberrimâ illa Maris transmissione, in qua palliolo pro naui vsus est, palàm est.*

Hæc mihi ad R. V. scribere opportunum visum est, quo si fortè libellus istuc etiam delatus est, norint omnes eorum, quæ Principatum hunc attingunt, veritatem. Deus R. V. seruet. Barcinone Pridie Kal. Ianuarias 1642.

IACOBVS PVCHIVS.

XXXIX. *Consensio Epistolæ Puchianæ cum fabulis P.-C.* Hactenus Puchium, quem à Pseudo-Constantino proprio nolim nomine appellari; mirus enim nominum, & faberrimus artifex ex Iayme non Iacobum, sed Iaymonem formaret, vt Ignatium in Enneconem recudere non dubitauit. Sed vt rem agamus, quæso te Constantine, ad hominis in ipsis suis vigilijs malè somniantis deliramenta confutanda, quid hac epistolâ excogitari potuit opportunius? intelligetne tandem Pseudo-Constantinus, suarum nugarum vanitatem nullâ verosimilitudine fulciri? quid vanius, quàm de Oblati professione differere, cum nulla in antiquis tabulis illius mentio fiat, ac fieri nequidem possit; nam post annum XXII. superioris seculi, quem Ignatius in eâ viciniâ transegit huiusmodi tabulæ fieri cœptæ sunt.

quod liquidò docet publicum documentum à Sigismundo Ventahol confectum, vt à Puchio audiuimus. Quid infelicius, quàm eius pictæ tabulæ meminisse, quam se ab Vrbe accepisse atque ad Montem Serratum transmisisse, ibíque adhuc superesse testatur Puchius, nullúmque in eâ Oblatum conspici? Quid ineptius, quàm Martyrologium tanta vanitate appellare, quod Montis Serrati Monachis ignotum est, quorum res maximè agitur; nam quo ipsi vtuntur Ignatium nusquam habet? De Exercitijs, visóque illo admirabili, cuius splendorem Pseudo-Constantinus ferre non potuit, suis à me locis dicetur.



INEPTIA OCTAVA.

Exercitia spiritualia compilato Cisnerij Libello, cui Exercitatorio titulus est, ab Ignatio fuisse consarcinata.



Vsquam acriùs egisse sibi videtur Pseudo-Constantinus, nusquam sibi adeò placet, quàm de libello Exercitiorum agens, eúmque ab Exercitatorio Cisnerij desumptum fuisse vanissimè contendens: Qua in contentione, quasi verò parum esset paucis paginis insanire, alteram probrosissimi libelli partem impendit, omniáque permiscet, historiarum omnium fidem eleuat, nullum non lapidem mouet; nec latentes mendaciorum scorpios timet. Sed quid ille familiarem sibi timeat pestem? Et sturni cicutâ, & ferulâ pascitur Arcadum pecus, quæ homini motiferæ sunt: Totus in eo est, vt Exercitiorum inuentionem, *quorum ingens*, inquit, *apud Iesuitas nomen est*, Ignatio eripiat, eúmque criminis plagij accuset. Quare quum libellus ille Exercitiorum mole quidem exiguus, scientiâ verò interioris disciplinæ planè ingens sit; quíque ex illo quotidie fructus prodeunt, latissimè fundantur, atque ad omne hominum genus pertineant, eóque veluti proprio, atque domestico armamen-

I. *Pseudo-Constantini de Exercitijs disputantis fi·us indicatur.*

tario Societas nostra glorietur, planè se illi plurimum incommodaturum putauit Pseudo-Constantinus, si de tàm opulentâ B. Parentis Ignatij hæreditate deijceret.

II. *Et firmamenta disputationis totius,*

Quibus igitur longissimam disputationem potissimùm firmamentis fulciat, quibus machinis omnium nostrorum historicorum fidem, atque integri jam sæculi persuasionem à maioribus tantâ cum celebritate acceptam proruere connitatur, paucis bonâ fide docebo.

III. *Et primò Minoressæ Ignatium non scripsisse.*

Præcipuus illi fundus est Minoressæ Ignatium ea non scripsisse, quod historici omnes nostri consensu tradiderunt.

IV. *Quod probat à partitione illius commorationis,*

Id verò palam se fecisse gloriatur diligenti primùm commorationis Minoressanæ partitione, quæ cùm annua fuerit, eiúsque aliquot menses interiorem illam scientiam ex nostrorum confessione, nondum adeptus esset Ignatius, mediam verò sibi vindicent angores illi ex anteactæ vitæ conscientiâ molestissimi, quibus ad vltima consilia propemodum adactus est; necessariò conficitur paucos admodum menses Exercitijs procudendis illi superfuisse: quæ tamen ob exactissimam, quæ illis continetur, rerum diuinarum scientiam, & orandi, vitæque ex altissimis rationibus constituendæ absolutissimum magisterium, vix multorum annorum molitione absolui potuerunt.

V. *Et ab ignoratione litterarum.*

Adde Ignatium hominem litterarum, id temporis expertem Christi Domini vitam eo in libello exactissimè, atque opportunissimè suas in partes diuisisse, ac si in Euangeliorum lectione diu fuisset, multúmque versatus. Adde laudare illum dictorum suorum testes, Concilia, & Patres, quod sine studio non potuit.

VI. *Et ab inexperientiâ tractandorum animorum.*

Adde à Paulo III. in eorundem approbatione, & Ioanne Polanco in præfatione, quæ ex ipsius Ignatij mente, dubio procul scripta fuit, (nam superstiti adhuc à secretis erat Polancus) exercitia tractandorum animorum experientiæ accepta referri; quæ autem in Minoressana commoratione huiusmodi experimenta habuerit Ignatius, qui magnam illius anni partem vel eluendis per omnes pœnitentiæ gradus anteactæ vitæ maculis, vel animo à scrupulis vindicando insumpsit, vix potest intelligi. Quæ cùm ita sint falsitatis omnes illi iure postulantur, qui libellum ab Ignatio Minoressæ scriptum prodiderunt.

VII. *Accepisse verò à Cisneriano libello vtriusque similitudine probare contendit;*

Mox ne tàm nostra conuulsisse, quàm sua focillasse videatur, multa de Cisnerij virtute, ac sanctimoniâ differit, eiúsque

eiúsque Exercitatorio vsos fuisse Monachos Montis Serrat[1] in erudiendis, qui ad illos adibant disciplinæ causâ, docet; ideóque illo perpolitum à Clanonio Ignatium verosimile admodum videri; nam & illo vsum non improbabile olim scripsit Ribadeneira. Demum collatis veluti tesseris quæ vtroque in libello aliquam habent similitudinem, diligenter contendit. Hæc vbi odiosissimè disputauit, magnificè se circumspiciens, sibi canit triumphum.

Verumenimuerò, vt illos insanabilem insaniam aiunt insanire, non, qui turbatis, ac tumultuantibus imaginibus agitentur, sed quos mens ita deficit, vt sibi sapere videantur; haud aliter ineptos tunc maximè, quum satagunt, videmus ineptire. Quod huic Pseudo-Constantino in hoc loco pertractando planissimè contigit, Constantine; quamuis enim morosissimè, ac diutissimè muginetur; nihil tamen omnino conficit, nisi vt suam in disputando prodat, siue insipientiam, siue insanitatem, certè cogitationum suarum fœdissimam inconsequentiam. VIII. *Sed magis ineptit, quò aptius scribere se credit;*

Igitur, vt admotâ ad radicem securi vanitatis hanc siluam excaudicem, aio Ignatium diuino magisterio edoctum libellum illum verè aureum, ac planè diuinum conscripsisse; quo dicto vniuersa illa, & anxia temporis partitio in fumos abit. Imo tota illa de Ignatij per ea Minoressanæ commorationis tempora bonarum artium, & diuinarum litterarum ignoratione disputatio tota concidit. Quid enim comparatâ studiorum laboribus eruditione indigeret, qui Deo vteretur magistro? IX. *Ignatius enim Deo magistro didicit.*

Quos enim Doctores audierat Antonius, qui de diuinis oraculis sapientissimè dissererat? & ne antiqua nimis sectemur, quibus in Academijs adoleuerat magna Virgo Teresia, cuius tàm multa extant arcanæ huius monumenta sapientiæ? X. *Quod minimè nouum in viro sanctus quum sit.*

Hìc enimuerò angitur Pseudo-Constantinus, & malè sibi conscius contra scriptorum omnium sensum pertinacissimè pugnat. Ribadeneiram, Maffeium, Orlandinum, Nerebergensem, mendacij accusat; sibi vni, suísque somnijs fidem haberi postulat. Vide quantâ cum isthoc homine fiduciâ agam, Constantine. Tot, tantorúmque virorum auctoritatem non moror, Laurentij Surij eadem narrantis fidem susdéque habeo; Ioannem Polancum, cuius ille nomine nobis negocium facessit, testem non laudo; quamuis ille in vitâ Ignatij, quam M. S. in Romano nostro XI. *Præter historicorum fidem,*

 Tabulario

Tabulario superiore anno, cùm in Vrbe agerem, diligenter inspexi, cap. IV. disertissimè tradat, Exercitia ab Ignatio Minoressæ condita fuisse.

XII. *Et Polanci Epistolam,* Omitto etiam præclaram illam eiusdem Polanci epistolam ad Illustrissimum virum, cuius exemplar apud nos habemus, in qua, reliqua inter quæ de nascentis Societatis primordijs, Ignatiíque gestis narrat, hæc habet: *Quatuor ibi* (Minoressæ) *menses in mendicitate, atque asperrimis pœnitentijs, & continuis orationibus vocalibus traduxit; neque enim ad id vsque temporis mentalium experientiam aliquam habebat. His elapsis mensibus, cœpit Deus interiùs seruum suum visitare, cúmque altissimâ perfundere luce, atque cognitione non modò sui ipsius, sed diuinorum mysteriorum, multâ cum deuotione, & consolationibus spiritualibus. Et præterquam quod eum corroborauit multum in virtutibus pro suâ perfectione, illum incendit tàm magno zelo salutis animarum proximorum, vt illicò ad eas adiuuandas se conferret, tùm exemplis, & conuersatione; tùm Exercitiis spiritualibus, quæ sine magistro eum docuerat Deus pro suo profectu; cœpit igitur magnum fructum colligere ex multis proximis, præcipuè in pago Minoressa dicto, &c.* Hactenus in epistolâ Polancus.

XIII. *Et Ignatij ipsius confessionem,* Omitto quod ex ipsius Ignatij ore auditum, adnotatum legimus perantiquo in volumine Romani nostri tabularij, in quo plurima Ignatij dicta, & gesta à Ludouico Consaluo de Camerâ Lusitano, viro non tàm generis nobilitate, quæ plurima sanè est, quàm virtutum magnitudine clarissimo, quique Romanæ tum domus minister Ignatio erat, postmodum Sebastiani Regis adolescentiæ, moribúsque formandis additus est, dictim adnotata seruantur; ibi enim Exercitia se ex propriis, aliorumque à se animaduersis experimentis confecisse narrat Ignatius; sed domestica omittamus.

XIV. *Romanæ Rotæ grauissimo testimonio probatur.* Quid si testes dabo viros, vt dignitate amplissimos, sic auctoritate, ac fide summos, contra quorum dicta frontem, quamuis eam strennè perfrictam extriuerit, attollere ne ipsa quidem audeat impudentia? Vos igitur Romanæ Rotæ amplissimi Patres appello; nam res vestra agitur, si de Francisci Sacrati Archiepiscopi Damasceni, Antonij Manzanedi

zanedi

zanedi, & Ioannis Baptiſtæ Pamphilij III. virorum collegarum veſtrorum Ignatianis geſtis ritè cognoſcendis Pontificiâ auctoritate Præfectorum fide Pſeudo-Conſtantinus iſte dubitare non vereatur. Imo te quem adhuc ſuperſtitem eſſe gratulor, vtque diutiſſimè, ac feliciſſimè ſis ex animi mei ſententiâ voueo Ioannes Baptiſta Pamphili, quem de Ignatianis actis diligentiſſimè cognitis gloriantem ſuperiore anno, cùm feſto Ignatij die ad nos adijſſes, eiúſque reliquias Farneſiano in templo, & cubicula venerareris audiui; Te inquam appello, Pamphili Eminentiſſime, virtutéſque illas tuas, quæ tibi Vrbani VIII. iudicio purpuram circundederunt, & maiora adhuc ſpondent, vt vaniſſimi hominis, atque audaciſſimi arrogantiam tuâ compeſcas auctoritate. Te iterum Pamphili appello; non enim Relationem illam pulcherrimam, ſummâ, non dicam fide ac iudicio, ſed majeſtate atque elegantiâ ſcriptam tuo tantùm nomine ſubſignaſti; ſed ea quanta eſt, à te tota concepta & ſcripta, vt ego à te ipſo ſuperiore item anno Romæ audiui, tuæ in nos beneuolentiæ, noſtræque aduerſus te obligationis immortale monumentum; quod ne poſteri olim ignorarent, hîc à me prætereundum non fuit. Tuam igitur fidem appello, vt intelligat tandem aliquando calumniarum faber Pſeudo-Conſtantinus, quàm anxiâ, atque incorruptâ diligentiâ in huiuſmodi cauſis cognoſcendis Romanæ Rotæ verſetur ſeueritas, quantáque fide oraculorum inſtar decreta, ſententiæque procudantur. Hæc quum didicerit, tum ego homini liuido, atque imperito, quid tres viri grauiſſimi de Ignatij Exercitijs ſenſerint, quid ſummo Pontifici Gregorio XV. retulerint recitabo.

XV. *Recitaturque ex relatione ad Gregorium XV. P. M.*

Illi igitur in grauiſſimâ illâ Relatione, qua de Ignatij ſanctimoniâ Pontificem certiorem faciunt, quámque nos ipſorum chirographo ritè obſignatam in Romano tabulario habemus, ſic loquuntur: *Et primò magna rerum ſpiritualium cognitio, quam habuit in ſuis faciendis Exercitijs ſpiritualibus, de qua deponunt de certa ſcientia primus Toletanus ſuper 29. & iuxta 15. in quinta ratione: primus Flandriæ ſuper eodem 29. & 25. iuxta 13. & de publica voce, & famâ*, & alij.

Quæ Exercitia, cùm facta fuerint eo tempore, quo dictus B. Pater erat idiota, & litterarum ignarus, vtque cogimur

gimur fateri, dictam cognitionem, & lumen supernaturaliter infusa potiùs, quàm acquisita fuisse, vt de scientiâ sancti Bonauenturæ dixit Panuinus in relatione eius canonizationis, part. 1. art. 2. Quid contra hanc tantam auctoritatem mutiet Pseudo-Constantinus? An Iesuitas hos esse, qui palpum lectoribus obtrudant, dicet? An homines leues corde fuisse, qui citò nimis crediderint? An à nobis emptos (vt de Merlo calumniatur) qui tàm impiè coram Pontifice mentirentur? Ego quidem, quæ hominis ad omnem mentiendi licentiam proiecta audacia est, huiusmodi aliquid, ne victus videretur, inter clandestina colloquia dicturum non dubito. Sed lucem reformidabit; ne bonorum omnium suffragijs calumniæ, ac maiestatis reus peragatur. Sed demus homini audacissimo contradicendi licentiam; atque amplissimorum Patrum, quos Christianus orbis suspicit, auctoritatem seponamus.

XVI. *Ignatium Minoressæ animorum tractandorum vsum habuisse.*

Quid ais calumniator? Audiatur. Vestri, inquit, Polanci præfatione, quam viuente Ignatio Exercitijs præfixit, & Pauli III. auctoritate satis constat, libellum illum ex vsu tractandorum animorum conflatum fuisse, quod neque cum Minoressanâ solitudine, neque cum Diuino lumine satis conuenit gemina hîc, eáque adipata inscitia est; altera facti, iuris altera, vt cum Iurisconsultis loquar. Quid tu, Ignatium Minoressæ tractandorum animorum vsum habuisse, negas? at contra historiarum, ac testium locupletissimorum fidem negas. Mitto de historicis nostris dicere, quos falsitatis & mendaciorum accusare pro tua humanitate non dubitabis: dabo ex actis canonizationis, quæ pluribus, & ingentibus voluminibus apud nos in tabulario seruantur testium dicta, quibus si quis adhuc pudor tibi reliquus est, acquiescas.

XVII. *Tradunt Acta Barcinonensia.*

Vigesimus igitur sextus Actorum Barcinonensium pag. 528. sic loquitur. *Minoressæ tradendis Exercitijs in auxilium animorum incumbebat.* Vigesimus octauus ijsdem in actis pag. 576. à tergo sic: *Docebat Minoressæ viros, & mulieres, & iuuenes orare, & meditari, & scire disponere vitam suam, & conscientiam, & habuerat ibi multas illustrationes.* Vin'tu adhuc aliquid expressius de condito Minoressæ libello? Quadragesimus secundus Barcinonensis

nensis pap. 741. à tergo hæc iuratus ait: *Quia audiuerat, & sciret de libro Exercitiorum composito in ciuitate Minoressæ per B. Patrem Ignatium, dum adhuc idiota erat, sed diuino spiritu ductus, & repletus.* Iam ex Euangelij oraculo in ore trium testium stat veritas comprobata.

Sed addamus quartum, primum nimirum Toletanum pag. 24 Actorum Toletanorum à tergo sic loquentem: *Cùm dictus Pater Ignatius adhuc pœnitens, & Laicus in continuis orationibus, & meditationibus Minoressæ occuparetur, multas diuinitus illustrationes habuit, quibus & experientia quotidiana, & virtutum illustrationibus illuminatus, libellum quemdam composuit, in quo modum orandi, & meditandi, & disponendi animam ad tollenda vitia, & affectus, & quærendi, & inueniendi Dei voluntatem, circa vitæ suæ institutionem, & debitum, & quotidie magis proficiendi in oratione, & meditatione docuit, quem Spiritualia Exercitia appellauit.* Et audeat adhuc impudentia perfrictè improbare, quod à quatuor, aliísque iuratis testibus traditum Romani Iudices probauere? XIX. *Toletana,*

Eadem penè primus, secundus, & quartus Actorum Bruxellensium ad interrogata articuli XXIX. eadem vigesimus sextus, & vigesimus octauus, & quadragesimus secundus Actorum Barchinonensium ad quæsita ex articulo XXIX. & XXXV. Eadem septimus Florentinus, & plurimi Mutinenses de publicâ voce, & famâ. Accedunt Romanorum actorũ testes multitudine plurimi; nam XXV. numerãtur, & dignitate amplissimi; nam plerique omnes viri nobiles sunt, & duo ex Societate Ignatij olim discipuli, & Franciscus Maria Tarusius vir non magis Vaticanâ purpurâ, quàm suis virtutibus eminentissimus. Hosce ne testes tot, tantósque, iuratos omnes reijciat Pseudo-Constantinus? XX. *Bruxellensia, & alia.*

Quid si Nicolaum Zambeccarium Consistorialis Aulæ Aduocatum, vtriusque signaturæ Referendarium, & sacræ Congregationis super Episcopis, & Regularibus Secretarium coram Gregorio XV. in publico Consistorio orantem, eadémque magnificè prædicantem audiat, audebitne illum falsitatis, ac leuitatis accusare? quis hanc ferat impudentiam? Quis Nicolaum Zambeccarium virum tantis auctum honestatibus in amplissimo totius Orbis Senatu, XXI. *Nicolaus Zambeccarius in Oratione habitá in Consistorio ad Gregorium XV.*

S coram

coram sapiẽtissimo Christi Vicario de re omnium, quæ humanis consilijs non sine Diuinitatis instinctu, confieri possunt grauissimâ, de Ignatio Loyolâ, & Francisco Xauerio in Sanctorum numerum referendis, perorantem, aliquid à sanctitate, ac Religione veritatis dissentiens in medium attulisse, fictásque Ignatij laudes prædicasse, nisi pudorem omnem abiecerit, audeat suspicari? Audi ergo Pseudo-Constantine, quæ, si Constantinus esses, vt hominem quo tempore habita illa celeberrima est oratio in Vrbe agentem, & in aulâ circulísque assiduum, latere non potuerunt. Sed tam densæ liuoris, atque inuidentiæ tenebræ sunt, vt nulla satis luce vincantur. Sed audi tamen. *Hæc* (Minoressam) *ad eum inuisendum consulendúmque, cùm plurimi conuenirent, ille non solum opportunis monitis atque adhortationibus ad meliorem frugem vocare conabatur omnes, sed etiam libello de fructuosâ orandi ratione ex ijs, quæ diuino magisterio ipse didicerat* (audisne Pseudo-Constantine?) *excolere nonnullos ad eam normam cœpit. Atqui hic est ille Exercitiorum libellus, qui summorum deinde Pontificum testimonio probatus, commendatúsque, tàm multos è vitiorum cœno abstraxit, tot nouis alumnis religiosos ordines amplificauit, tam exactam ipsis religiosis familijs disciplinæ veteris obseruantiam, amorémque restituit, vt meritò inter adiumenta à Deo Christianæ Reipublicæ hoc tempore suppeditata commemorari possit.* Hactenus Zambeccarius. Vereor, Constantine, his audiendis ne amico tuo aures malè doleant, quid enim ad eius ostendendam vecordiam dici potuit grauius, aut luculentius? Ignatium Minoressæ vsum tractandorum animorum ipse habuisse negat; celeberrimos ad eum interioris eruditionis caussâ factos esse concursus docet Zambeccarius: Diuinum in libello Exercitiorum magisterium ille abnuit, ac plagium Cisnerianæ prolis accusat; Ex his, quæ diuino magisterio ipse didicerat compositum fuisse libellum affirmat Zambeccarius. Mitto quæ de libelli laudibus Zambeccarius magnificè, nec tamen supra meritum, addidit; quamuis enim hostis infensissimi cara mihi salus est; nolo illum inuidiâ rumpi.

XXII. *Ignatius Salmanticæ, & Compluti Exercitijs plures instruit.*

Attamen ne quidquã ex ijs quæ ad caussam faciant dissimulem, fontes ex quibus sua hausit Zambeccarius iterum aperiam. Quid? Non ex summario Actuum Ignatiano-

rum

rum pagina X L I. liquidò constat exercitij huiusmodi plurimos ab Ignatio Barchinonæ, Compluti, atque Salmanticæ fuisse perpolitos? Et sanè vt de Complutensi, atque Salmanticensi nihil dicam, Barchinonensis commoratio statim post reditum ab Hierosolymitanâ peregrinatione contigit, quum litteris nondum esset excultus Ignatius. Nam tunc maximè primis grammaticæ rudimentis pueros inter deuorandis operam sedulam, & permolestam X X X. annos natus dabat.

Ac ne Cisnerianis exercitationibus vsum fuisse ignatium solitâ confidentiâ dicere te posse credas, Pseudo-Constantine; quæro ex te, quid caussæ fuerit, cur Barchinone digressus, & Compluti ob hæc ipsa Exercitia in suspicionem nouæ doctrinæ vocatus, in carcerem raptus, & aliquandiu, dum illa diligentiùs examinantur, in vinculis habitus fuerit? Si tanta erat Cisneriani Exercitatorij auctoritas, quantam fuisse credi vis, quì fieri potuit, vt Quæsitores illi, quibus formidolosum Exercitiorum nomen fuit, illud ignorarint? Adeóne fungus erat Ignatius, vt appellato Cisnerij clarissimo nomine, non se illi eriperet tempestati, ac suæ discipulorúmque famæ consuleret? X X I I I. *Quæ Cisneriana non fuisse probantur.*

Sed pergendum est, Constantine, ac planè ostendendum quanta hominis illius ignorantia sit, qui vsum, atque experientiam cum diuinis illustrationibus pugnare contendit, quod tamen facit Pseudo-Constantinus: quamquam si demonstrare contendam amens sim, illique persimilis. Cui enim eorum, qui aliquid sciunt, lateat oraculum illud Lucæ, quo Christi Domini adolescentiam paucis complexus sic ait. *Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines*? At illius veritatem, nisi experimenta cum diuinâ scientiâ componamus, nullo modo tueri possumus. An eos, quos diuinitus prudentiam, ac scientiam accepisse legimus, experiendo, obseruandóque profecisse negabimus, Constantine, vt huic Pseudo-Constantino gratificemur? Sed nondum quiescit homo insulsissimus. X X I V. *Experientiam cum diuinis illustrationibus pugnare perperam docet P-C.* Lucæ II.

Quid enim, inquit, Diuinitatis instinctu scripsit, qui ea ex diuinis Scripturis decerpsit, vt Paulus III. docet? Quasi verò ex Alcorano, aut Talmud Christi vitam, & gesta, quæ tam opportunè digessit ad meditandum, illi fuerint petenda; Quasi verò ad ea cognoscenda diuino peculiari X X V. *Vt & vitæ Christi lectionem.*

S 2 lumine

lumine opus habuerit, cùm Euangelia illâ ipsâ ætate, qua Ignatius scribebat, Hispanicè fuisse vulgata satis constet: qua maximè ratione vanissima illa difflatur coniectura, quam ex ignoratione latinæ linguæ ducit Pseudo Constantinus. Sed fac latinè tantum edita tum fuisse Euangelia, quod sæpius contendit, an Christi gesta scire, nisi latinè intelligeret, non potuit Ignatius, homo contemplationi assuetus? an ea, nisi diuinitus Romanè scire doctus, diuino in lumine prouidere non potuit? Quanam igitur ratione, cùm paternâ in domo æger Pompeiolitano ex vulnere decumberet, Christi Domini gesta legisse accepimus? Rogo, si ea, quod hic negat, Hispanicè non habebantur, & Ignatius latinè ignorabat, quomodo legebat? dicturus, opinor, est mentiri historicos, qui hæc tradidêre: sed Pseudo-Constantinus tantummodo dicturus est; Nam à prudentiâ, modestiâque tuâ nihil huiusmodi expectandum: sed pergo: an necesse fuit loca, & verba Diuinorum librorum, cùm Exercitia composuit, laudare ad singulas meditationes, quod postea factum fuisse nihil incommodat veritati? Certè Ignatius Hispanicè scripsit, ipsiúsque autographum Romæ habemus. An ex ipso Cisneriano Exercitatorio, in quo Christi gesta singillatim differuntur, longè tamen alio ordine, alióque fine accipere non potuit, vt promptam ex syluâ materiam, suo construendo ædificio? Hoc ego quidem non aio; verùm tibi negare integrum non est, quod tamen contra Minoressanam scriptionem ex ignoratione gestorum Christi argumentanti facere omnino necesse est. Vt vel hoc vno argumento quantâ vecordiâ ad scribendum accesseris, non modò vir emunctæ naris Constantinus, sed quiuis, cui obesæ omnino non sint, planè percipere possit.

XXVI. *P-Constantinus se ipsum implicat*

Minoressæ condita ab Ignatio Exercitia negas, quod homo litterarum expers, nec latinè intelligens vnde Christi Domini vitam, & gesta, quæ latinis tantùm litteris continebantur haurire posset, non haberet; Mox Cisneriano libello, Clanonij operâ perpolitum Ignatium tradis, nec satis aduertis exercitationibus illis Cisnerianis vitam Christi omnem luculentissimè proponi? Quid ais? qua demum linguâ scripsit Cisnerius? Latinâ? id quidem falsum te ipso teste. Hispaniensi? Cur igitur latinæ linguæ ignorationem Ignatio Minoressæ agitanti obijcis, quasi verò ibi Christi Domini gesta nosse non potuerit, vt propterea tota Exer-

citiorum

citiorum scriptio ex suâ sede aliò tibi sit transferenda? Vidésne tuam illam argumentationem vndique fatiscere, iisdemque ambagibus Iepium implicari?

XXVII. *Ignatium aliquid primis Exercitijs addidisse nullum incommodum est.*

At aliqua in illis mutasse, vel addidisse vestri tradunt historici, quod cum hoc diuino lumine minùs conuenit. Fauete linguis, quasi verò ita nos de Ignatij Exercitijs, ac de diuinis oraculis loquamur, aut lumen illud, quod scribenti adfuit, ita per omnia Exercitiorum verba fusum asseramus, vt aliquid non posset emendare, vel nouo aliquo experimento amplificare. Fac de numero dierum, quibus Exercitia plerumque definiuntur, quem locum Pseudo-Constantinus non semel vrget, post illa scriptum; ideóne Exercitia diuinitus edoctus non composuit? quæ rerum inconcinnitas, & consequentiæ vanitas?

XXVIII. *Vt nec lapsus Amanuensis aut exscriptoris in adnotando numero Concilij,*

At Consilium Carthaginense III. per errorem laudat, quum in IV. ea, non in III. habeantur, qui lapsus in diuinum dictatorem cadere non potuit. At potuit in amanuenses, potuit in ipsum Ignatium, si locum illum addendum putauit.

XXIX. *Nec addita postea vnius alteriúsue Doctoris testimonia,*

At Thomam, Bonauenturam, alióſque recẽtiores Theologos testes aduocat, quod ab homine litterarum experte factum quis credat? Quis? qui diuinitus Exercitia illum accepisse iuratis, pluribúsque testibus comprobauerit. Quamquam perpolitum, additis subinde aliquibus veluti ornamentis, post primam fœturam ab Ignatio fuisse librum si dicere voluerim, concidet omnis ista argumentatio. Quis verò te ad oram libri, cùm locum hunc pertractas dictum plenè temerarium illeuisse non indignetur, *Litterarum rudis Theologica tractare non poterat?* Quas ergo litteras didicerant magni illi, quos Græca voce Theodidactos dicimus? Conuellendum tibi fuit illum à Deo doctum non fuisse, antequam ex ignoratione litterarum Theologica tractare non potuisse colligeres. Quum enim duplex scientiæ fons esse possit, vel studium litterarum, vel diuinitus illapsa animo lux, tu si vel Logicam à limine salutasses, vno occluso ne sapientiæ latices fluant, conficere te posse speras? quæ est ista Andabatæ pugna? Quid si hac vti nolim defensione, sed firmamenta illa Theologorum ab Ignatio addita, iterum concedam, desinésne tandem ineptire?

At totum libellum diuino numine ab Ignatio condi-

XXX. *Nierembergensis fidei assistunt.* tum fuisse tradidit Nierembergensis. Et rectè quidem; nisi per calumniam illius dicta velis interpretari; nam de doctrinâ ibi agit, quam homo litterarum id temporis omnino expers aliunde haurire non potuit. Fare age Pseudo-Constantine; libros sacros nonne Deo inspirante scriptos fatebere? nullus negandi locus est homini, qui Paulo fidem habeat exertè testanti omnem scripturam à Deo fuisse inspiratam? At Auctor libri II. Machabæorum cap. 11. disertè docet, se Iasonis Cyrenęi libros V. in vnum breuiasse. An igitur, quia ille aliunde accepit, quæ scriberet, diuinitus afflatus non scripsit? Cur igitur religiosiùs ac pressiùs de Ignatij Exercitijs, quàm de Diuinis scripturis loqui nos iubes, quum illarum opifices omnes sancti sint, ac fidem sibi diuinam vindicent, nos de re totâ loquamur? An si rudis aliquis picturæ inditâ diuinitus facultate tabulam aliquam elegantissimam ita lineet, ac coloret, vt in stuporem partium omnium compositione, figurísque singulis ad viuum expressis intuentes det, si ex illâ statim manum non tollat, si aliqua adhuc superaddat, suísque locis reponat, ideo artem diuinitus eum accepisse negaturus es, Pseudo-Constantine?

XXXI. *Incredibili ignorantiâ reuelationem Dei-paræ à Diuinis illustrationibus reijcit P.-C.* Sed vt demum palmarem hominis ineptiam, ne dicam an insaniam, an etiam impietatem haud satis mihi promptum est, penitus intelligas; audi, Constantine, quid ille tuo nomine tricetur. A Deo accepisse Exercitia Ignatium scribimus omnes; à B. Virgine illi reuelata fuisse tradit Ludouicus à Ponte, quæ duo veluti pugnantia miris, sed vanis modis exaggerat homo imperitissimus. Non adeo mihi vilis est Ludouici Pontani auctoritas, vt ego illam cum istius hominis, quæ nulla est, velim contendere. Illi enim & religiosissimæ virtutibus omnibus expressa vitæ probitas, & præclara de vitæ Christianæ officijs, totáque interiori Philosophiâ, quæque omnium Christianarum gentium manibus teruntur, monumenta, eam laudem, famámque conciliarunt, vt te si tu quicumque demum sis Pseudo Constantine, comparare tentauero, iniuriam hominis memoriæ haud dubiè facturus sim. Sed ne veluti rationibus victus auctoritate, quæ alieno pendet ab arbitrio, stare videar, vt extrema tua imperitia, & audacia, quæ tibi pro ariete est, palam fiat, audiendus es. Quid enim? an si à Deo accepit magnâ Dei-parâ interprete accipere non potuit? Si, te audio, hæc duo inuicem diffident. Audiaris

Pag. 210.

sanè

ſanè, quomodo enim hæc cohærent? Exercitia Dominus Deus ſancto Ignatio tradidit, & Beata Virgo ſanctum Ignatium Exercitia docuit? Hoccine rogas? belliſſimè reſpondeo, & miror hominem, qui hoc non videat, eruditi huius ſæculi lucem non fugere. Quis enim adeo in Diuinis peregrinatur, qui legem *per Angelos ordinatam in manu Mediatoris*, vt Paulus loquitur, neſciat? At quoties illam à Deo traditam Moyſi fuiſſe Diuina teſtantur oracula? Ergóne, quia Dei parâ docente plurima didicit Brigitta vidua, illam Theodidactam fuiſſe negaturus eſt Pſeudo-Conſtantinus? Thaumaturgo Gregorio nonne diuinitus inditam ſacrarum rerum ſcientiam dicimus? At illum Ioannes Euangeliſta, & Deipara docuerunt. Infinita ſunt de genere hoc, quæ in medium poſſunt afferri; plena ſunt enim ſacrarum hiſtoriarum monumenta. Et rarenter admodum factum legimus, vt plerique ſacrorum arcanorum myſtes docent; vt Deus per ſe mentibus mortalium illabatur, illáſque ipſe doceat, plerumque Angelis vtitur adminiſtris; neque tamen quiſquam aut mentis, aut fidei ſanus, quibus bonos per Angelos datum eſt proficere, à Deo doctos fuiſſe, iuerit inficias. Quare cùm ad conuellendam ſcriptorum omnium fidem, & antiquiſſimam in Societate perſuaſionem, grauiſſimámque iuratorum teſtium auctoritatem, Romanæque Rotæ iudicium nihil à Pſeudo-Conſtantino excogitatum ſit, quod non facillimè diffletur, iure illi tanquam homini impudentiſſimo, qui tam luculenta inſcitiæ, ac vanitatis nomini tuo ſtigmata inuſſerit, iratum eſſe te conuenit, Conſtantine.

Nam quid ego dicam de collatione illa locorum ex XXXII.
Ignatij, & Ciſnerij Libellis? Rogo te, Conſtantine, vt illam diligentiùs inſpicere tibi graue non ſit, videbis hominem iſtum de rebus grauiſſimis planè nugari. Quid enim aliud agit, quàm vt in pauciſſimis quibuſdam, iiſque peruulgatis, conuenire demonſtret, ex quo profectò Ciſnerij XXXIII.
ſcrinia compilaſſe Ignatium non magis conficit, quàm ſi aſturconem, quia totidem quot ceruus pedibus incedit, totidémque auriculis audit, eodémque fœno veſcitur, illo ſatum eſſe pertenderet, quod argumentandi genus vel logices tyronum cachinnis vapulet.

Collatio Ciſneriani, & Ignatiani libelli nihil probat;

Vulgata enim ſunt, quæ conferuntur, non Ignatij Exercitiorum præcipua.

De libri ſpiritu, ac mente, mi homo, non de paucis, & apud Aſceticarum commentationum magiſtros paſſim obijcis

obuijs particulis disputandum fuerat. Sed aliud opinor est disputare, ac disserere, aliud loqui, illud nonnisi sapientes, hoc etiam insani faciunt. Legi Exercitatorium Cisnerianum, pium, ita me Deus, & vtilem Reipublicæ librum, sed, quod veritati dandum est, nihil ad Ignatij Exercitia. Vbi enim annotationes? vbi spirituum discernendorum? vbi Electionis frugiferæ regulæ? vbi gradus humilitatis? vbi orandi modi, cæteráque interioris philosophiæ documenta illa magnifica? vbi ordo ille, & commentationum admirabilis illa, & prouehendis ad sublimia sanctimoniæ animabus comparata partitio, qua nihil opportunius potuit excogitari?

XXXIV. *Nomen Exercitiorũ Cisnerio antiquius.* Verùm Exercitiorum, atque Exercitatorij nomina eadem penè sunt, vnúmque inclinatur ex alio. Leuissimum sanè argumentum, vt aliquid inde acceptum fuisse dicamus. Sed fac validum esse; potiùs per Bonauenturam profecisse dicendum fuit, qui geminos eodem titulo libellos pietatis plenissimos scripsit, nec tibi liberum excipere, ignorata Ignatio, cùm Minoressæ ageret Bonauenturæ opera, qui id loci scripsisse neges, rudem nimirum adhuc litterarum, & militari nondum ignoratione dedolata.

XXXV. *Meditationes vtrique communes apud Bonauenturam leguntur.* Cæterùm in fascicularij (sic enim II. opusculum appellauit Bonauentura) cap. III. cui titulus est, *Generales modi ad formandum meditationes de pœnis infernalibus*, & in cap. IV. cuius epographe legitur in hæc verba. *Generales modi meditandi circa extremum iudicium.* Et in cap. V. quod inscribitur *Generales meditationes de gloria cælesti*, & in VI. cuius lemma est, *Breuis modus meditandi circa beneficia diuina*; in his, inquam, alijsque capitibus plurima congeruntur, per quæ profecisse Cisnerium palam est, & si ex libris hausisse Ignatium, quæ scripsit dicendum esset, quis Bonauenturæ Cisnerium anteferat? Sed hæc Pseudo-Constantino ignorata omittamus. Qui quum sibi satis non constet, sed vbique sui similis ineptiat, nihil illi amplius est respondendum.

XXXVI. *Ignatianarum exercitationum fructus latissimè pertinet,* Illud tamen non omiserim tantas vbique terrarum, & apud cuiuscumque ordinis homines Ignatianarum exercitationum vbertates fuisse, vt quàm illæ Diuinitatis instinctu fuerint conscriptæ, res ipsa per se loquatur, & perridicula

cula quidem Pſeudo-Conſtantini argumenta, quod cau eæ ſtructor de Monachis Benedictinis ſe ſe Ignatianâ methodo excolentibus attulerat, reſpondentis argutatio eſt; quaſi ſuorum illi retinentes, aliena explorent.

XXXVII. *Non item Ciſneriana rum.*

Quum enim plurimos, & clariſſimos Monachorum prætertim Germanorum, imo integra illorum collegia Ignatij Exercitijs ad omnem Religionis laudem profeciſſe, quàm ego liberè affirmare poſſum, tàm, niſi planè depuduit, negare ipſe non poſſit; quinam vbi à Monte Serrato diſceſſeris, Ciſneriano Exercitatorio ad reuocandam veterem morum diſciplinam, & Monaſtici nominis ſanctitatem inſtaurandam, vſus fuerit, ſi Pſeudo-Conſtantinus in medium attulerit, ne ille famæ ac nomini tuo paulò ſapientiùs conſuluiſſe videbitur, Conſtantine.

XXXVIII. *Summa rum totius diſputationis.*

Rem igitur omnem vt quàm pauciſſimis comprehendam. Aio Ignatium Minoreſſæ primum Exercitia compoſuiſſe, adeo ex hiſtoricorum omnium conſenſione teſtatum eſſe, vt ſine virorum grauiſſimorum iniuriâ, qui ſummâ fide ſcripſerunt, ab homine, quem proprij affectus tranſuerſum non agant, negari nullo modo poſſit: Tum eodem ab Ignatio litterarum omnium adhuc rudi, ac proinde, quod conſequens eſt, haud dubio diuinitatis inſtinctu, ea condita eſſe, quum teſtes doceant, & Romanæ Rotæ Patres ampliſſimi Pontifici aſſerant, nonniſi ab impudente accuſatore, in dubium reuocari potuiſſe. Tertiò, quum acceptas à ſe diuinitus maximorum documentorum, atque eximiarum commentationum, quæ nuſquam apud alios magiſtros legantur, notiones Ignatius ipſe non ſemel dixerit, inſanire hominem illum oportere, qui leuiculis neſcio quibus argutationibus eam ſe veritatem conuellere poſſe ſperauerit. Quartò aio nihil latinæ linguæ, nihil humanæ indigum ſcientiæ fuiſſe, qui Deo magiſtro vſus ad ſcribẽdum & vernaculâ quidem linguâ aggrederetur. Quintò ita cum Diuino hoc magiſterio tractandorum animorum experimenta conſtare, vt cum Ioannis diuinitus docti Euangelio conſuetudinẽ illam, quam ſe cum Chriſto Domino habuiſſe teſtatur, *quod vidimus, quod audiuimus, quod manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ hoc annunciamus vobis*; Quæ omnia cùm luculenter fuerint demonſtrata, ſi Pſeudo-Conſtantinum, qui contra tendit, ſtrenuiſſimè

T inepti

ineptire dixeris, irasci ille tibi, nisi præterea insaniae profectò non debet, Constantine. Quare age tandem quásque hic tibi aphanias, nugasque affinxit, liberrimâ indignatione difflato.



PARS



PARS SECVNDA.

DE MALIGNITATE LIBELLI PSEVDO-CONSTANTINIANI.



VIS te, Constantine humanissime, in Societatem hanc nostram, cui non vno te nomine amicissimum esse oporteat, tàm implacabiliter inuehi credat, quàm mox à Pseudo-Constantino isto nullâ planè neque hominum, neque cœlestium reuerentia, probrosissimè factum fuisse palam faciam? Is est hominis liuor, & impudentia, vt non modò in te, quem & gentis nobilitas, & Benedictini nominis dignitas, & litterarum professio modestiæ admonent; sed nonnisi in accusatore aliquo de foro, cui nullus reliquus sit pudor, residere possit. Mitto, quòd carissimorum tibi fratrum Octauij, Paullique qui in Societate hac nostrâ vitam summâ cum laude, virtutúmque non vulgarium opinione duxerunt, memoriæ, & Alphonsi, qui adhuc in eâ superest, de quo, ne viuentem laudem dicere omitto, iniuriam te facere voluisse impium sit arbitrari; illius profectò humanitatis, quàm feras ipsas, stolidásque ac præferoces belluas natura docuit, obliuisci eum est necesse, qui homines nullo sibi nomine

I. *Pseudo-Constantinus malignitatem impudentissimè vero Constantino affingit.*

infeſtos, ne dicam beneuolos, ac benemerentes vltro cornu, ac dente appetat.

II. *Cuiuſmodi nec in belluis reperiri aiebat olim bubulcus.*

Narrabo tibi, Conſtantine, bubulci dictum, quod audiſſe non pigeat. Ibam adoleſcens comes additus Bernardino Stephonio, ſummo mane frigidioris auræ captandæ (nam æſtus in Vrbe tum erat vehementiſſimus) quum in Aloyſium Albricium incidimus, quem eadem cauſſa portâ eduxerat Pincianâ. Dum ſummus ille Poëta, & Orator hic incomparabilis eruditiſſimè, atque iucundiſsimè fabulantur, en tibi ex aduerſo ingens bubalorum grex; nos vitabundi belluarum ad vicinam turrim applicuimus, & quum grex omnis tranſiſſet, in viam rediuimus. Nec multum illius confeceramus, quum ecce tibi immanem, & planè exgregem bubalum iras efflantem contra nos venire proſpeximus, anguſtiori iam viâ; Ergo Albritius elata voce Bubulcum, qui pone ſequebatur, an malefica eſſet beſtia, interrogat: Ille facie horrida, totóque corpore notabilem in modum deformis, bubalum bipedem dixiſſes, abſonâ voce, verbíſque neſcio quid pingue, aſperúmque montanâ ex Vmbriâ ſonantibus, caput vix attollens; enimuerò, inquit, malignum bubalum illum eſſe neceſſe ſit, qui ſibi non moleſtos, appetat. Vos ad me ite. Quid ergo de tuo Pſeudo-Conſtantino dicam, qui in tibi per amicos, & tuo abuſus nomine coniſcat? bubalo illum eſſe ferociorem.

III. *Imo & impietatem in viros ſanctos & vindicatos.*

Et ſanè non modò humanitatem omnem; verumetiam pietatem exuiſſe videtur, qui Ignatio, & Xauerio ſua detrahat ornamenta, non vt Benedictinum nomen (quaſi verò illis indigeret) repetitis veluti plumis exornet, ſed vt illos ſpoliet. Quæ ſcribendi licentia iam nimium gliſcens, niſi grauiùs ab Eccleſiâ coerceatur, nihil erit adeo ſanctum, quod hominum audacia non contaminet; quaſi verò egregiam ingenij laudem, & ſpolia ampla referant, dicere ſi poſſint,

Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ.

Et ex illorum nefario grege ſint, de quibus olim Sionius Vates querebatur *Poſuerunt in cælo os ſuum, & lingua eorum pertranſiuit in terra.* Cuius grauiſſimæ accuſationis, quàm iuſtæ mihi ſint cauſſæ, iam videbis, Conſtantine.

MALI



MALIGNITAS *in Ignatium.*



IVstissimè Pseudo-Constantinum liuoris aduersus Ignatium postulamus, Constantine; nam viro sanctissimo haud cunctanter pleraque temerarius censor, potui etiam impium dicere, diripit, ornamenta, quibus illum Deus auctum voluit; Cuius operæ non aliud pretium facit, nisi vt suam prodat malignitatem, quod vt strenuè ab illo factum non dubites age, quantùm ausus sit, mecum agnosce. I *Quæ P-C. in Ignatium malignitas sit.*

II. *Primò visum nobilissimam negat.* Quid enim audax ac temerarium magis, quàm visum illud Christi Domini Crucem baiulantis Ignatio Vrbem ineunti obiectum, quod omnium historiarum monumentis longè celeberrimum est, & promissum amplissimum, quo incomparabili dignatione fauorem suum seruulo in preces abiecto benignissimus Dominus verbis illis pollicitus est EGO VOBIS ROMÆ PROPITIVS ERO, ita eleuare, vt non modò diem nobis dicat, quòd Panormi sacrâ in tabulâ in altari expictam publicæ venerationi historiam exposuerimus; verùm rem totam in fabulis habeat?

III. *Idque nullo fundamento.* At quàm nullo audacia nititur fundamento? Cardinalem nescio quem Sacerdote nescio quo homini imaginem offerente, illam non sinè stomacho abiecisse; quòd diceret historiam illam à sacris iudicibus fuisse reiectam, quam imaginem apud se diligenter asseruari testatur, quasi verò hoc totius impiæ accusationis magnum sit firmamentum. Principiò igitur aio visum illud testatissimum in actis Toletanis & Romanis haberi eo meliori modo, quo huiusmodi possunt comprobari; Cùm enim nonnisi ex videntis dicto haberi possint (quî enim aliter arcana hæc visa probantur?) illa omnia Romanæ Rotæ seueritas à legitimis probationibus reijcere consueuit, vt sanctitatis iam testatæ ornamenta potius sint, quàm probationes.

IV. *Cùm à pluribus testibus in Actis Toletanis, & Romanis probatum habeatur,*

Satis igitur erit fidei, si testes viri sint omni exceptione maiores, iuratíque cuiusmodi sunt, primus Toletanus, & secundus Romanus. Sed qui oscitationem huius hominis incredibilem, & scribendi licentiam planè desultoriam non stupeat? Qui enim se plurimas diuinas illustrationes Ignatio non negare scribit, quarum tamen nulla relatione canonizationis ob eam, quam modò dicebam, caussam recitetur, ex illius silentio celeberrimam hanc reijciendam sibi duxerit.

V. *Et ex Polanci monumentis.*

Huc accedit Ioannis Polanci viri religiosissimi, & Ignatio ipsi, ac postea Laynio, & Borgiæ, qui Ignatio in Societatis præfecturâ successerunt, assidui, atque intimi, quippe à secretis, accedit inquam tanti viri auctoritas; is enim in eâ, quam de Ignatij vitâ, & Societatis ortu, atque incrementis Latinè summâ fide, ac diligentiâ historiam composuit, quámque ego anno superiore antequam Pisas venirem, Romano nostro in tabulario inspexi cap. IV. visum ipsum & Christi Domini promissa diligentissimè prosequitur: porrò Polancum nescisse quid scriberet, aut mentitum luculenter fuisse, qui odij, aut inuidentiæ causas procul habeat, nemo dicturus est. Supererant enim, quum illa componeret Polancus, qui ab ipso Ignatio audierant, aut ab ijs, quibus ille narrauerat, rem totam acceperant. Adde traditionis apud nos celeberrimæ, ac testatissimæ vim, quæ cum illa legitima est, quanta sit, sciunt omnes.

VI. *Nec antiqua Sanctorum visa probatiora sunt.*

Quod si tanta est vetera calumniandi libido, quid in omni vnquam antiquitatis memoriâ sanctum erit? Benedicti gesta, & visum ab eo Germani animum ad beatorum sedes euchi, orbémque terrarum admirabili quadam, arcanáque ratione vnico illi obtutu videndum obiectum tradit Gregorius. Verum si à quibus acceperit Magnus, quæsiero quid aliud responderi potest, quàm ab ijs, quibus hæc Benedictus arcana patefecerat? Itaque in ipsum Benedictum fides omnis incumbit, nec vlteriùs quærendum, quum de illius fide in re tàm graui dubitari sit nefas. Tantumdem de Ignatio ego dicturus sum, à quo maiores nostri acceperunt; nam statim ab eius excessu edita.

VII. *Accedit veterum imaginum fides.*

Romæ illius imago est rotundo in clypeo quadra in plagulâ quatuor totidem ad angulos plagulæ additis historijs, in quibus & reddita ei ab Apostolo Petro sanitas, & Missio Xauerij in Indiam, & sanctissimi Patris mors, & hoc ipsum

visum continebantur, quod cùm ab illis, qui assidui fuerant Ignatio curatum sit, hominem profectò liuidum illum esse oportebit, qui tàm immanem veritati fraudem ab illis Ignatij discipulis factam velit suspicari. Sed illud luculentius.

VIII. *Et Ignatij testimonium ex autographo Hispanico,*

Ignatius ipse (his in aduersarijs, quorum exemplar Romæ in Tabulario Societatis adseruatur; nam libellum chirographo Ignatij discriptum Petrus Ribadeneira secum in Hispanias auexit, rem semel iterúmque adnotauit. In his igitur aduersarijs hæc Hispanicè habentur ab illis verbis: *De la Trinidad sanctissima:* hoc est in quinto sacro de sancta Trinitate. *Sabado en la oracion solita no hallando, de la mitad adelante, con a saz deuotion, y satisfacion de animas con alguna muestra de claridad lucida al preparar del altar, veniendo en pensamiento Iesu con mouerme à seguirle; pareciendome internamente, siendo el la cabeça de la Compañia para yr en toda pobreça, que todas las raçones humanas, aunque pareçia que todas las otras razones passadas en elecion militauã a los mismos: y esto pensamiento me mouia a deuocion, y lagrimas, y a vna firmella, que aunnque no hallasse lagrimas en Missa, o en Missas, me parecia, que este sentimiento era bastante en tiempo de tentationes, o tribulationes para estar firme con estos pensamientos andando, y vestiendo, cresciendo incremento, y pareciendo vna confirmacion; aunque no recibiesse consolaciones, y pareciendome en alguna maniera ser de la sanctissima Trinidad el mostrarse, o el sentirse de Iesu, veniendo en memoria quando el Padre me puso con hijo. Al finir del vestir con esta intention le imprimirseme tanto el nombre de Iesu y tanto esforçado, o pareçer ser confirmado por adelante venia en nueua fuerça de lagrimas, y sollozos, y començando la Missa assistente mucha gracia, y deuotion &c.* Hæc ideo Hispanicè hic recitanda ego putaui, vt constet quanta fide ab Orlandino historiarum lib. X. num. 60. in hæc verba Latinè reddita sint.

Conferant qui vtriusque linguæ scientes sunt, videbunt

in

IX. in ſumma fide incomparabilem Orlandini elegantiam *Sabbato, inquit, quintum Sacrum de Trinitate. In precatione conſuetâ, cùm initio non multum adeſſet, poſt dimidium ſat multum præſto fuit pietatis, iucunditatiſque animæ cum aliquo obiectu, & ſpecie lucidæ claritatis. Dum altare componitur, occcurente menti Ieſu, motus ad eum ſequendum: cùm penitus exiſtimarem, quòd ipſe ſit Dux, caputque Societatis; id eſſe omnium argumentum maximum, cur paupertas, &. nuditas ſumma eſſet aſſumenda: Quanquam aliæ quoque rationes, quas in electionibus adhibueram, eodem ſpectabant. Atque hæc cogitatio commouebat me ad pietatem, & lachrymas, atque etiam ad conſtantiam, vt quamuis in Sacro huius diei, vel in alijs non affluerent lachrymæ, videretur hic ſenſus fore ſatis tentationum, & moleſtiarum tempore ad conſtantiam obtinendam. Inter has cogitationes cùm progrederer, & ſacras veſtes inducrem, creſcebat pius ſenſus, & videbatur hæc planè eſſe confirmatio decreti; quamuis aliæ conſolationes abeſſent: & videbatur confirmatio eſſe quodammodo à ſanctiſsima Trinitate (Hoc enim B. Pater cupiebat; adeſſe ſibi potiſsimùm ab auguſtiſsima Trinitate ſenſum aliquem, vnde intelligeret accepta illi eſſe, quæ ipſe de paupertate decreuerat) cùm ita ſe communicaret Filius: quia recordabar eius temporis, quo Pater me apud Filium collocauit. Poſt indutas ſacras veſtes, cùm ſe mihi magis, magiſque nomen IESV imprimeret, & ita ego eſſem corroboratus, & confirmatus in omnem euentum, erumpebat noua vis lachrymarum, atque ſingultuum. Sacrum iam ingreſſo multum comitabatur gratia, ac pij ſenſus cum quietâ, longáque lachrymatione.* Hîc iam quæro ex Pſeudo-Conſtantino, quid illa verba ſignificent. *Recordabar eius temporis, quo Pater me apud Filium collocauit?* Nónne manifeſtè viſum illud attingunt? quo enim alio tempore apud Filium fuit à Patre collocatus? & mentitum' hîc Ignatium in tantâ rerum ſanctitate, ac ſcribendi ſimplicitate ſuſpicabimur?

Quod ſumma cum fide, tum elegantiâ latinè reddiait Orlandinus.

Sed

X. *Et Iacobi Laynij ad Socios concio habita Romæ anno CIↃIↃLX.*

Sed vt nihil desiderari possit, eius, quam ad Socios Romæ anno CIↃ. IↃLX. habuit Laynius, concionis domesticæ particulam addamus ex codice illius concionum, quem in tabulario asseruamus. Ibi pag. XI. sic loquitur Laynius: *Primum fundamentum huius appellationis* (Societatis Iesu, de qua dicere ordiebatur) *illud, vt mihi videtur, Patri nostro fuit, quod nunc afferam. Cùm Romam Senensi viâ veniremus, & Pater multis spiritualibus motibus, præsertim in Eucharistiâ abundaret, Magister Faber, & ego quotidie Sacrum faciebamus, ipse non faciebat, sed communicabat. Dixit ergo mihi impressa sibi à Deo hæc verba: EGO VOBIS ROMÆ PROPITIVS ERO, quorum cùm intelligentiam nesciret Pater noster, dicebat: Ego nescio quid nobis futurum sit. Forsan Cruci Romæ affigemur. Iterum dixit, quod visus sibi esset videre Christum sublata in humeros Cruce, & prope ipsum æternum Patrem, qui illi diceret. Volo vt hunc in seruum tuum accipias. Itaque Iesus eum recipiebat, dicebatque; Volo vt mihi seruias.* Sed quid ego pluribus disputo? Vnius nescio cuius Cardinalis, nescio quam sententiam (nam cùm tenebras amet mendacium, ijs inuoluenda calumnia fuit) nobis objiciat Pseudo-Constantinus; ego illi Eminentissimos Patres omnes, quotquot Romæ fuerunt anno huius sæculi XXXIX. ad IV. Kal. Octobris objiciam, quibus coram & frequentissimâ, nobilissimáque omnium concione solemnem inter exacti nostri primi seculi gratulationem, & ipsa Missarum solemnia, Aloysius Albricius eloquentiæ facilè princeps de illo viso, de illis promissis ita disseruit, vt & omnium plausu tunc fuerit exceptus, & quod multò amplius est, ab ipsomet Vrbano VIII. quum lætitiam illam suâ nobis præsentiâ reddidit augustissimam, propalam fuerit laudatus: quam profectò laudem nunquam retulisset, si, per summam audaciam, fabulas in illo præclarissimo Orbis terræ consessu in medium attulisset.

XI. *Et Aloysij Albricij ad Cardinales omnes anno nostro seculari à Pontifice laudata,*

XII. *Et tabula Romanæ altaris quam Pontifex de genu veneratus est.*

Verùm vt hominis inuidi incogitantiam adhuc magis videas Constantine, quæ maior esse potuit, quàm Panormitanæ tabulæ meminisse, quum eandem, quam in illâ reprehendit Romana, quæ in sacra Professorum æde spectatur, & religiosè colitur, repræsentet historiam? quam

V quum

quum Vrbanus eâ, quam dixi, die Ignatij sacros cineres publicè de genu veneratus, inspexerit, ac laudauerit, nullum ego calumniæ, nullum impudentiæ locum arbitror superesse.

XIII. *Et seculum iam integrum gentium Christianarum consensus,*

Quamquam quid ego eius veritatis argumenta conquiro, quæ incredibili quadam per centum ipsos, & amplius annos rerum felicitate comprobatur? Quis enim vnquam sanus dicere ausit, aut Ignatio in re tantâ, per summam diuinitatis iniuriam mentienti (quod impium est vel cogitare) aut Socijs eius tàm proiectè, atque impiè fabulantibus, vt Pseudo-Constantinus eos haberi vult, propitium fuisse Deum, & immanis adeo mendacij veluti subsignatorem accessisse?

XIV. *Et promissorum fides numquam hactenus desiderata,*

An Ignatio, Sociisque in hanc vsque diem Romæ propitium fuisse Christum negabit accusator? Vereor, ne hæc ipsa, qua ibi fruimur, Diuini fauoris lux illi oculos perstrinxerit; & doceri nolumus, quæ nimium videntur. Quare quamuis hoc ille minimè sit meritus; tamen ne acriùs tabescat, diuini fauoris monumenta non recensebo. Atque vtinam illis, nos posterique omnes nostri, quotquot olim futuros spero, ita pares præstemus, vt non malè collata beneficia videantur, perpetuisque incrementis Deum illis, qui gloriam suam rebus omnibus antelatam volunt, adesse dexterum, ac fauentem palâm faciant: hoc ego non in Vrbe tantùm, sed vbique gentium, vt contingat, voueo, haud dubiâ spe auditum iri ab eo vota, qui nos in Societatem Filij sui vocauit Deus.

XV. *Sed nouum non est, illustria Sanctorum decora ab inuidis negari, & oppugnari.*

Hæc tanta veritatis firmamenta consideranti mirum videri possit, eam à Pseudo-Constantino post seculum integrum, nullâ, vel in speciem, validâ ratione subnixo tam confidenter oppugnari. Verùm me vetera, & noua contendentem nulla subit admiratio; quum animo repetam stigmata illa Francisci, quibus nihil post hominum memoriam, vel ad diuini fauoris commendationem expressius, vel ad populorum admirationem illustrius homini cuiquam factum legimus, ab iis, qui tantum gloriæ alterius ordinis parenti ex illis accedere non ferebant, tam acriter exagitata fuisse, vt non sine tumultu sibi agendum putarent: nihil magnum est, quod inuidia non aggrediatur, minima, & vulgata humili suâ conditione tuta sunt.

XVI. *Constitutio-*

Sed pergendum est; non enim in hoc vno viso Pseudo-

Con

Constantiniana se malignitas continuit. Dolet illi à nostris scriptum, Constitutiones, quas Ignatius Societati temperandæ conscripsit, non sine diuinitatis illapsu, ac præsenti Dei-paræ ope ab eo fuisse conceptas, adeoque id falsò traditum, ac leuiter opinione hominum receptum fuisse pertendit; non aliâ, opinor, de causâ, quàm ne Albanetanæ suæ institutionis fabula obsolescat; qui locus, quum superius dum de hominis istius ineptijs disputauimus, perpurgatus sit à nobis diligenter, iam de diuino hoc magisterio accuratius dicendum est. Etquidem ad fidem illi faciendam, quantum historiæ accuratissimæ satis est; non enim maiorem postulamus, acta ipsa Toletana, & Romana, in quibus de illo testes iuratissimi deponunt, apud non iniquos rerum æstimatores abundè sufficiunt. *nes peculiari ope Virginis Dei-paræ scriptas ab Ignatio fuisse, quod secundò negat P. C. probatur ex Actis Toletanis & Romanis:*

XVII. *Nec maiori fide Pacomiana, Posthumiana, & Franciscana creduntur,* Qua enim maiori fide, quod de Regulâ ad Pachomium, & Posthumium ab Angelo delatâ, aut Francisco missâ è cælo voce ad regulæ confirmationem credimus, quàm nobilium testium traditum est? Conuellantur oportet innumera rerum antiquarum monumenta, quibus virorum sanctissimorum, & Christianæ totius Reipublicæ memoria omnis, tanquam preclaris quibusdam luminibus illustratur, si testium probatorum fides accusatur, quid si iurati, & in legitimo iudicio interrogati dicant?

XVIII. *Quàm quæ probatis, & diligentibus historicis debetur.* Nec ideo hæc ego memoro, quasi verò historicis lata sit eiusmodi lex, vt non nisi ab iuratis accipiant. Minori religione, sed non veritate, res in Republicâ gestæ, olim conditæ sunt. Imo in hac tantâ, quæ nūc ad obtrectatorum maledicentiam penitus infringendam, viget iudiciorum seueritate, si historicâ tantùm fide, nullâ canonizationis anticipatione scribatur, libera scribentis prudentiæ, iudicioque relinquitur historia; vt iniquius profectò agant, qui probationes ineluctabiles requirunt. Sed quamuis maligni hoc hominis sit, habeo tamen, quod vel ipsam pudoris, ac modestiæ admoneat impudentiam.

XIX. *Ex Ignatij Chirographo constat illum in conscribendis Constitutionibus diuinitus illustratum fuisse,* Cuius enim frontis demum fuerit Ignatio ipsi, post decretos cælestes honores, mendacium impingere, idque non leue, atque vt loqui amant homines minùs cauti, innocens; sed impium planè, atque sacrilegū, cuiusmodi esset diuinas illustrationes falsò iactare inter suos, easque dolo malo in codicillos referre, quo illarū memoria pertineret ad posteros? At nouerit Pseudo-Constantinus extare apud nos ad-

uersaria Ignatij, in quibus diurna visa, & collata dietim dona, & consilia diuinitus indita simplicissimè referebat: sciat vnam aliquando legem XL. dies meditationibus, atque consilijs, dum diuinam certiùs explorat voluntatem, illi abstulisse; vt non difficilè, quando alia desint firmamenta veritatis, credituri sint, quibus iecur morbidum inuidentiæ tabes non adurit, hominem ex diuinis nutibus in scribendo adeo aptum, suspensumque, diuino sæpius lumine fuisse perfusum.

XX. *Et ipse eiusque colloquio cum Laynio.*

Nec ipse dissimulauit, quamquam arcanorum parcus, & diuini secreti admodum tenax; nam quum aliquando Laïnium, vt sacræ historiæ peritissimum, de ordinum conditoribus quid sentiret, deque ipsis regulis interrogasset, diceretque Lainius nullum sibi dubium esse, præcipua illarum capita diuinitus sanctos viros olim doctos fuisse; subdidisse Ignatium accepimus, id etiam nunc fieri credere sese. At post Albanetanam institutionem illam præclarissimam, de qua luculentum Sangrini testimonium protulit, aut post acrem illam aliarum legum cognitionem, ad quam tùm per se, tùm per Laïnium incubuisse Ignatium prodit Orlandinus, diuina institutione quid opus fuerit non satis sese intelligere scribit Pseudo-Constantinus. Haud miror hominem maleuolentiâ præoccupatum, cum qua nulla sapientiæ consuetudo esse potest, ac liuore cœcum in ipso meridie nihil videre. Quid apud Christianas gentes testatum, sanctumque magis, quàm Conciliorum scita, & Pontificum Romanorum decreta, vbi de summâ rerum, id est de fide, moribusque agitur, vsque adeo diuino nutu scribi, ac sciri; vt tàm procul ab omni erroris absint suspicione, quàm illa ipsa veritas, quam interpretantur? Rursum quis adeo rerum Christianarum imperitus doctos inter homines, quos inter nomen suum profiteri audet Pseudo-Constantinus, inuenitur, qui nesciat quantâ in arcanis inuestigandis diligentiâ, quantisque ad eruendam veritatem concertationibus, cùm à Concilijs, tùm à Pontificibus agatur? Et rei proditæ veritatis nos simus, qui Ignatium nihil omisisse eius peruestigationes, qua prudentem legislatorem vti decuit, eumdemque multa legum suarũ capita diuinitùs edoctũ asserimus? Et conuicio vapulare debuit caueæ structor ineluctabilis, quòd Societatis leges illius spiritui acceptas referri debere scripserit, quum tamen in euoluendis reliquorum ordinum legibus.

XXI. *Quibus probationibus nihil efficit lectio, aut consultatio,*

XXII. *Quare immerito vapulet à P-C. vt aliius caueæ structor.*

legibus Ignatio à Lainio nauatam esse operam vltro fateamur? Tàm inepte hic colligit, quam fœdè structori conuiciatur Pseudo-Constantinus: quasi vero Lainius alieno, & peregrino quodam genio, & non Societatis proprio duceretur? Sed homini ab inuidia cœco frustra facem prælucemus. Vt enim cœcis diei, ac noctis discrimen est nullum; ita liuidis, atque imperitis veritas, & mendacium perinde habentur.

De libello Exercitiorum quanto conatu egerit, ne ab Ignatio diuinitus, quas in illis explicauit sensus, illustrationesque admirabiles, acceptas credamus in loco demonstratum, illudque ostensum vanissimum ineptissimúmque hominem illum fuisse, qui libellum centum iam annorum incredibili quadam vtilitate Christianę Reipublicæ commendatum cum Cisneriano componere non dubitauerit, auctoribusque clarissimis diem de mendacio per summam audaciam dixerit, quum ipse de illorum grege indubiè sit, XXIII. *Calumnia plagij iterum leui manu repellitur.*

Qui sui quæstus caussâ fictas suscitant sententias, de quo libello quoniam satis à nobis disputatum est, ad reliquam hominis malignitatem exhauriendam obfirmandus animus est, Constantine.

Parum igitur fuerat fabulatori huic maximo Ignatium in Oblatorum classem per apertum ludibrium coniecisse, nisi cum ab eâdem eiectum fuisse mentiretur, quod satis luculenter tradit primâ parte cap. VII. vbi agens de dimissione scholasticorum Societatis, *Voluisse*, ait Ignatium, *obseruare, quod in laudatis Congregationibus de Donatis, siue Commissis viderat, expertusque fuerat*, & paulò post vt insignior adhuc sit contumelia, perquàm rarò contingere docet, vt quis eorum (Oblatorum) ab Ordine eijciatur. *Porro nec ea eiectio*, inquit, *fit vnius hominis arbitrio, non vnius Abbatis præsentis nutu, sed ad illius mentem seniorum omnium, aut duarum partium Conuentus assensio interueniat necesse est &c.* Quæ sanè quàm honorificè de Ignatio dicantur, nemo non intelligit, sed mendaces ex proborum virorum cœtu non duarum tertiarum, sed omnium omnino suffragijs eijciuntur. Nec ideo hæc reprehendo, quod ardore disputandi abreptus aliquâ à Pseudo-Constantino euadendi viam inuadi posse non videam. Verùm hominis genium XXIV. *De Ignatio à Benedictinis eiecto, atrox sed clancularia P.-C. calumnia.*

qui nouerit clamculariam calumiam facile animaduertet.

XXV. Verùm reducto tandem aliquando siparıo spectanda est, non tàm Florentini adolescentis tragedia, quàm nequissimi calumniatoris in sanctissimum Patrem Ignatium, & nos omnes liuor, & odium plusquàm Vatinianum; cui vt nostrâ litet infamiâ, mendacijs manifestarijs totam eam impedit narrationem, nostrosque homines vt sceleris atrocissimi reos vulgatâ Italicâ epistolâ traducit, mox passis velis in Ioannem Eusebium Nierembergensem inuehitur, quasi verò mendaci narratione falsum mirum Ignatio appinxerit, adeoque per summum scelus, audaciamque nullo modo ferendam veritati fucum fecerit, & sæculo illuserit, & lectoribus palpum obtruserit. Totius igitur accusationis duo sunt capita mihi nunc elidenda.

In Florentinæ tragædiæ narratione P. C. liuor detegitur.

XXVI. Vnum de vulneribus Ioanni Antonio Merlo inflictis, alterum de reddito inuocatâ Ignatij ope animam agenti spiritu, ac voce: quorum alterum à nostris hominibus factum Italicâ illâ docere se putat epistolâ: alterum ita nullâ de caussâ negat, vt non modò malignitati, verùm & impudentiæ hominis in re tam graui sine testibus versantis, irasci te oporteat, Constantine.

Duo accusationis capita, vulnera & mendacium de sanitate.

XXVII. Atque, vt à principio ordiar, quæ tua frons esset, quis pudor, quæ humanitas, si tu libellum edidisses, epistolam infamem oppidò, & ex incertis vulgi sermonibus consarcinatam, nullo addito auctoris nomine vulgare? Sed cuiuscumque demum ea sit epistola, siue ab homine leui conscripta; siue à Pseudo-Constantino conficta, quod vero propius videtur, eam nihil moror. Quum enim rumoribus vulgi nitatur, quam fidem apud sapientes mereatur, iam vides opinor, Constantine. Scio equidem à leuissimis sordidâ è plebe hominibus iactatum in circulis auro, & quidem multo, emptum à nobis Merli mendacium fuisse, vt in se vulnerum inuidiam, vt illis leuiorem, deriuaret, sed impudens fabula statim in se concidit.

Leuitas sermonum vulgi apud sapientes statim concidit.

XXVIII. Quin cum inter reliquas diei super mensam narraretur, Margaritæ Principis quæ Odoardo Parmensium, ac Placentinorum Duci nupsit, audita illius vox est, credituram se facilius si ab hominibus è Societate adolescentem ad vitam dicerent reuocatum: qua voce præclaram Serenissima Princeps in nos humanitatem declarauit suam, & narrantium leuitatem castigauit egregiè. Sed quàm vanus, quàm

Marguaritæ Parmæ ac Placentiæ Ducis egregia vox, & fabulæ inuerisimilitudo.

quàm incredibilis fuerit vulgi rumor, res ipsa tota manifestat. Quid enim? ab vnóne an à pluribus vulneratum, volunt, si qui tamen adhuc supersunt, qui cum vulgo Pseudo-Constantini magistro insaniant? Ab vno? Quomodo tam minutis viciníſque in pectore vulnusculis pupugit? vnus vni non obluctabatur adolescens bene validus? obluctabatur? quî ergo veluti si vulneribus proprium pectus obiecisset aduersa omnia excepit? quomodo non vulneratæ manus, quas aduersas intendebat? At plures fuêre, inquiet. Plures? qui? Viri omnes Religiosi, & Sacerdotes. Quis hoc credat? fac enim vnum aliquem ex illis, quem propria exasperauerat infamia, eius impatientiâ in rabiem actum calumniatoris sanguine illam diluere voluisse, reliquos quæ caussa efferauit? atque ex viris optimis, probatissimisque in sicarios, latronésque transformauit? sed factum fuerit, quod fieri non potuit, si plures irruerunt, quomodo Merlus non sustulit vocem? quomodo non hominum, Superúmque opem, ac fidem implorauit? vulnerabatur adolescens XX. circiter annorum à domesticis sicarijs, & petebatur ad mortem, & tacebat? non, inquit, sed clamabat. Quî ergo, cum publicæ, ac frequentissimæ viæ imposito in conclaui imâ in ædium parte, apertis fenestris, densissimis ciuium domibus circumstantibus latrocinium tam immane committeretur, nemo clamores, nemo vocem eiulantis audiuit? Audio, occlusum à sicarijs illis os misero adolescenti fuisse dicet. Ergo continebant, vt securiùs sæuirent. Cur igitur vna, alteráque plagâ non confecerunt? cur minutis aliquot punctiunculis vellicarunt? cur non omnem spiritum hauserunt? si mentiri meditabātur vim illum suæ vitæ attulisse, tutiùs id facturi erant occiso, quàm vulnerato, à quo nullum metuerent testimonium. Cur ipsi ad primum sanguinis aspectum clamorem sustulerunt? Hæc, qui odij atque inuidentiæ caussas procul habeat, quàm verè dicantur, facilè intelliget, illorum ego iudicia contemno, quibus pronâ in malum mente, & propriâ ex conscientiâ semper segniora credere voluptas est: sapientum iudicium appello. XXIX.

Reijcitur primum accusationis, caput ex Actu Nuntij Apostolici Alphonsi Gilioli.

Verùm ne sola inficiatione, atque exceptione agere videar, vt omni mendaciorum detersâ caligine veritas tandem emicet, sciántque posteri, (quos dum virtus amabit, inuidia & calumnia non deserent) & nos per ista transisse,

ad

ad ipsa prouoco acta, quæ in tabularijs Nuncij Apostolici, & Archiepiscopi Florentiæ adseruentur. Et primis quidem Alphonsi Gilioli id temporis apud Magnum Ducem Apostolici Nuntij auctoritate confectis nostram testatissimam esse innnocentiam, testem appello, qui ea superiori anno, vt mihi gratificaretur, inspexit, virum non magis Capuanis infulis, & amplissimâ Nuncij ad eundem Magnum Etruriæ Ducem dignitate, quàm virtute doctrináque clarissimum, quo ciue, & quæ illius humanitas est, amico vehementer mihi placeo, testem inquam appello Camillum Meltium, quem falsitatis, ac mendacij testem dare adhuc superstitem supremæ, ac Pseudo-Constantinianæ esset impudentiæ.

XXX. *Eiusdemque ad Mutium Vitellescum Epistolá.* Sed quid ego hîc morer quam ad Mutium Vitelleschum Giliolus ipse de hac totâ re dedit epistolam ex nostro Tabulario Romano depromptam hîc recitare? Audi Pseudo-Constantine, non ex vulgi rumoribus malè consutam mendaciorum nunciam Epistolam, ab hospite Monacho, nisi tu ipse illius faber es, transmissam, sed ab amplissimæ dignitatis viro, & summi Pontificis Nuntio ad Præpositum Generalem, cuius res agebatur, exploratæ veritatis testimonium amplissimum. Recitetur; & primò quidem Italica lingua, vt data est; nam eam statim Latinâ reddemus.

LETTERA DI MONSIGNOR GILIOLI Nuntio di S. Santità scritta al Reuerendissimo Padre Mutio Vitelleschi Generale della Compagnia di GIESV.

XXXI. *Quæ Italicè allata,* *V. S. Reuerendissima sarà pienamente ragguagliata dà suoi Padri dell' accidente successo Venerdi passato nella lor casa; il quale veramente si può dire disgratiatissimo, & opera del Demonio; gli stessi Padri mi dicono di non hauere potuto per seruitio delle*

scuole

scuole, & per riputatione della Religione; & per honore dello N. tralasciare le diligenze usate, quali asseriscono esser solite in simili casi, & io lo voglio credere. Nel resto posso dire à V. S. Reuerendissima che si sono gouernati in questa congiuntura con molta prudenza, & con gran termini & edificatione dè buoni, & le cose sono ridotte à segno, che già la Città commincia ad esser chiarita del fatto, & la verità si andarà sempre più scoprendo. Il processo è formato, & riesce, come il Merli pazzamente & senza occasione vrgente si è ferito da per sè medesimo. Gli stessi Padri non hanno lasciato in questa occasione di mostrare la loro pietà, & di procurare con ogni mezzo possibile, e con ogni diligenza la salute dell'anima & del corpo. Del mio continuato affetto verso la religione di V. S. Reuerendissima ne hauerà forse relatione, Onde io assicurandola del desiderio particolare che tengo di seruire à lei li bagio di tutto cuore le mani. Da Fiorenza, 1. di Giugno 1626.

D. V. S. Reuerendissima,

Diuotissimo & obligatissimo Seruitore
Il Vescouo d'Anglona.

Eadem Latinè sic habet Epistola. XXXII. *Et latinè reddita.*

EPISTOLA ALPHONSI GILIOLI Nuntij Apoſtolici, apud Magnum Etruriæ Ducem ad Mutium Vitelleſchum Societatis IESV Præpoſitum Generalem.

XXXIII. *Rem geſtam exponit,* *VEſtra Dominatio Reuerendiſſima certior ſine dubio, & quidem diligenter à Patribus ſuis iam erit reddita de ſiniſtro caſu, qui die proxima Veneris in eorum domo accidit; qui verè dici poteſt infortunatiſſimus, & opus Dæmonis. Affirmant Patres, ſe ob ſcholarum bonam, & Ordinis æſtimationem, famámque N.* (nomen adoleſcentis cuius famam obſcœnis ſermonibus læſerat Merlus appellat hic Nuntius, cui ego parcendum puto) *omittere diligentiam, qua vſi ſunt non potuiſſe, quæ etiam in huiuſmodi adhiberi ſolet, quod ego illis libenter credo.*

XXXIV. *Et Socios à culpâ liberat,* *Cæterùm Dominationi veſtræ Reuerendiſſimæ affirmo, Patres in hoc rerum articulo prudentiſſimè, & cum magnâ bonorum ædificatione ſeſe geſſiſſe; iámque rem eo deductam eſſe, vt Ciuitas incipiat veritatem facti agnoſcere, paulatímque omnino manifeſtam fore. Fabricatus eſt proceſſus, ex quo conſtat Merlum ſtultè, nulláque vrgente occaſione ſibi manus attuliſſe.*

XXXV. *Egregiâ cum laude,* *Porro ijdem Patres, hac datâ occaſione, pietatem ſuam egregiè oſtenderunt ad ſalutem tum animi, tum corporis huius adoleſcentis incumbentes. Quo ego animo*

in Religionem D. V. Reuerendissimæ sim, à Patribus ipsis, opinor, accepit. Quare meum eidem inseruiendi studium iterum profitens manibus oscula toto ex corde libo. Florentiæ Kalend. Iunijs 1626.

D. V. Reuerendissimæ

Deuotissimus, & obligatissimus seruus
Episcopus Anglonæ.

I nunc Pseudo-Constantine, tuámque tenebricosam epistolam huic oppone, si audes. Contende vtramque si potes. Ego certè non faciam. Quis enim esset stupor ignoti authoris, & leuissimis vulgi rumusculis circumacti effusam temerè narrationem, atque infelici illitam chartæ, cum hoc amplissimi atque ornatissimi viri testimonio, cui à publicis actibus tantum auctoritatis accedit, componere? XXXVI. *Cui vulgi calumniam cedere necesse est.*

Verùm vt euellendis improbissimæ suspicionis, atque atrocissimæ calumniæ fibris securim tandem inijciamus; age Acta ipsa Archiepiscopi iussu à legitimo Notario confecta, atque ad me Florentino ex Archiepiscopi Tabulario transmissa hîc Latinè reddita, sed ex fide recitemus, vt eorum auctoritatis pondere tandem elisa sibilare desinat vipera hæc Pseudo-Constantiniana. XXXVII. *Veritas ex Actis Archiepiscopalibus iterum ostenditur.*

ACTA ARCHIEPISCOPALIA
Die 21. Maij 1626.

Constitutus personaliter coram me Cancellario infra scripto in lecto iacens infirmus, in Collegio Ecclesiæ Sancti Ioannini de Florentia nuncupati De Iesuitis.

Ioannes Antonius Magistri Marci de Merlis vnus ex Actuarijs substitutis Archiepiscopalis Curiæ Florenti-

næ & medio iuramento examinatus prout tactis, &c. Iurauit.

XXXVIII. *Confeßio adolescentis paulò post quam se vulnerauerat.* *Interrogatus cur in strato iaceat.*

Respondit; hodie horâ decimâ septimâ eram in Conclaui Sodalitij sancto Ignatio sacri, vbi cum aliquibus Patribus nescio quam ob causam fueram loquutus; & quamquam cubili, in quo ipse eram, ostium apertum esset, cateræ tamen ianuæ clausæ erant; cúmque hîc ego solus remansissem, gladiolo, quem mecum habebam, arrepto præ rabie me octo vel nouem vicibus percussi, vnáque ex his mihi pectus ex læua parte, altera gulam vulneraui; (hæc porrò vulnera quòd fascijs circumligata essent, videre non potuimus) ac paulò post me semi exutum vestibus vidi, ac medicaminibus curatum super culcitram in terrâ; & nunc sum in hoc lecto, vt videtis; sempérque precabatur, ne multum ad loquendum eum incitarem, ne malum loquendo cresceret.

Interrogatus an verè à se ipso se vulnerauerit.

Respondit. Ita planè est; hoc dixi, & affirmo.

Interrogatus, quemnam fuisset alloquutus.

Respondit. Patres Cosimum Pazzium, Laurentium Incuriam, Antonium Franciscum Massottum, & Belisarium Tassonum.

Interrogatus qua super re cum ijs sermonem habuisset.

XXXIX. *Et causa ab illo allata.* *Respondit. Pater Pazzius dixerat mihi me non verè loquutum circa nescio quid, ego verò me veritatem omnino loquutum esse affirmabam; & quia Patres ali-*

quantu

quantulum recedentes à me, submissa voce simul loquebantur, veritus ego ne satellites aduocarent, qui me captiuum ducerent, (hoc enim se facturum prædixerat mihi Pater Laurentius Incuria) & in carcere mori cogerent, statui à mémetipso potius mori, quàm in carcerem intrudi, sícque supradicto gladiolo me ipsum malè accepi, bísque vel ter in me manus vertisse putabam, sed tanta erat iracundia, qua ardebam, vt, ex eo quod videre iam licet, octies, vel nouies me vulnerârim.

Cùm verò ægrotus multùm in loquendo pateretur, examen dimisi, animo &c. prædicta omnia acceptando in parte & partibus &c. eique præcepi, vt vbi conualuisset, sisteret se ante Dominum Vicarium, & ipsius Curiam omni meliori modo, &c.

Ego Michael Angelus Lapinus quon. D. Dominici filius, Ciuis & Notarius publicus Florentinus, & Caussarum Criminalium Archiepiscopalis Curiæ Florentinæ Cancellarius, de prædictis rogatus in fidem subscripsi, & signum meum apposui consuetum ✠ signum Tabellionatus. XL. Iuridica Scribæ attestatio.

Vincentius Rabatta I.C. Ecclesiæ Metropolitanæ Florentinæ Canonicus, Prothonotarius Apostolicus Illustrissimi & Reuerendissimi DD. Petri Nicolini, Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopi Florentini Vicarius & Locumtenens in spiritualibus & temporalibus Generalis, &c. Vniuersis fidem facimus & attestamur retroscriptum Dominum Michaëlem Angelum Lapinum de prædictis rogatum fuisse, & esse publicum, legalem

authenticum, & fide dignum Notarium Florentinæ nostræ Curiæ Archiepiscopalis Causarum Criminalium Cancellarium, eiusque Scriptis & Instrumentis publicis semper in iudicio & extra adhibitam fuisse, & de præsenti adhiberi plenam & indubitatam fidem. In quorum testimonium &c. *Datum Florentiæ in Archiepiscopali Curia die decimo octauo Februarij* 1641.*ab Incarnatione.*

Loco † sigilli.

Iulius Germinius Florentinus, ac Curiæ Archiepiscopalis Actuarius de mandato in fidem &c.

Eadem V. eadem pridie nonas Iulij cùm propè conualuisset in Claustris ad D. Laurentij ab eodem Notario examinatus constanter asseruit quæ ego, ne lectorem morarer, lubens omisi. Chirurgi tamen testimonium, quod iisdem in actis habetur, vt perspectis vulneribus quibus periclitabatur, diuina ope tam subitò redditam Merlo vocem nemo dubitet, hîc opportunè recitabitur.

IESVS,
Die tertia Iulij 1626.

XLI. *Chirurgi testimonium de vulneribus.*

IOannes Antonius Merli Florentinus à me curatus est mense Maio proximè elapso die vigesimâ nonâ, à nouem vulneribus in sinistrâ mamillâ susceptis, quorum vnum multum penetrabat, ideóque non parum periculi minabatur ob aduersa accidentia, quæ ex ipso oriebantur; ab alio item vulnere in aspera arteria, quam vulgo

go gorgozzolo nominamus, per quod foras spiritus elidebatur; quin etiam ex tribus vulneribus, vnum tantum facere necesse fuit, vt sic & melior via aperiretur sanguini qui ad pectus decurrerat, & tutiùs curarentur; præter hanc plagam, quæ adhuc è pectoris concauo sanguinem iam tabefactum expurgat, non sine spe certâ, quando ordinatè viuat quamprimùm omnino conualiturum, aliæ omnes iam perfectè solidatæ sunt. In quorum fidem ego Dominicus Segni Chirurgus, qui illum curaui propria manu scripsi supradicta.

Possem ego de hac totâ Florentinâ tragœdiâ eiúsque auctore, actoréque primarum partium malo dæmone, quæ olim à Cosimo Pactio grauissimo, atque etiam post fata apud Florentinos ciues, ac Principes magni nominis viro arcana sanè, atque admirabilia me audire memini iuratus hîc afferre; sed, ne grauiùs hostibus nostris huiusmodi audiendo aures doleant, silentio nunc transmissa opportunius in tempus reseruabo.

XLII. *Contenditur veritas publicarum tabularum & vulgarium rumorum leuitas.*

Interim satísne pessimi accusatoris ex hisce tabulis retunditur malitia, Constantine? Adhucne rumorem vulgi, obscuri hominis epistolâ exceptum, ne obliuione debitâ deleatur, posteritati commendabit? Sed iam veritas ex illis se tenebris emersit, non tàm beneficio temporis, cuius filia esse dicitur, quàm vi suâ; nam statim illas dispulit. Nosne adolescentem vulnerauimus, & cum eodem in illâ vulnerum atrocitate, quum spiritu deficeretur de pretio sanguinis, ac vitæ, cuius extremo versabatur in periculo, pacti sumus? Merlus præ vulnerum ante vnam, vel alteram horam inflictorum, ac vix obligatorum acerbitate vix vocis compos testimonium in se ipsum dicit, sibique se violentas manus attulisse iuratus affirmat, & à nobis emptum, pretióque sanguinis accepto, mentitum illum esse dicere nescio qua ex epistolâ, quæ suam ipsa prodit vanitatem, dicere audeat Pseudo-Constantinus? Quis illum tàm audacter tuo nomine insanientem ferat Constantine? si acta quæstionis ad V. Nonas Iulias institutæ in medium attulissem, locum adornandæ calumniæ apertum reliquissem;

ſem; quaſi verò toto Iunio de ſanguinis ſui pretio cum Merlo paciſci potuerimus; At in illo rerum articulo, extremáque adoleſcentis rabie, ſummáque noſtrorum conſternatione id confieri potuiſſe, quis præter Pſeudo-Conſtantinum, cuius odium in nos mendaciorum, fabularúmque pabulum corripit, audeat ementiri? Itane incertum vulgi (ſcis quàm varia, & quàm præceps bellua ſit) rumorem ſequi, aut ad conflandam inuidiam poſt tot annos, mortémque, non vnius ex illius tragædiæ actoribus ac ſpectatoribus excitare, iterúmque editis libellis, epiſtoliſque vulgare par fuit?

XLIII. *Quibus Romæ miris modis vapulat P-C.* Hoccine facere Pſeudo-Conſtantinus debuit, cuius leuitas Romanæ aulæ notiſſima fabula eſt? Quàm iure mihi iraſceretur, ſi quæ de illo in circulis ad riſum vrbanorum captandum feruntur ſermones, his ego litteris pro certis, exploratiſque commendarem?

XLIV. *Cui perridicula ſpes purpuræ olim iniecta;* Aiunt, ludos illum fieri à lepidis hominibus, à quorum vno per nimiùm doctos, lepidóſque dolos iniecta illi Purpuræ Vaticanæ ſpes fuerit, tàm felici ludo; vt cum amico viro grauiſſimo, per ſummam inſaniam egerit; vt quoniam apud Pontificem ille gratiâ præiret, quum viridi adhuc æuo, ſpes, quod ille ait, poſſet incohare longas; ſibi ſeni iam depontano cedere ipſe vellet; niſi enim primâ Patrum lectione purpuraſceret, actum de ſe eſſe, cui orcus iam pedes traheret. Addunt ſomniaſſe illum aliquando legatum ſe à Pontifice ad Magnæ Britanniæ Regem, eámque inſaniam ita palam inſaniſſe, vt Regis Hiſpaniarum Legato noluerit de loco decedere. Hæc quum à facetis hominibus in circulis narrantur, quàm effuſis cachinnis vapulet Pſeudo-Conſtantinus fando quis explicet, Conſtantine? Verùm, hæc ego fabulas inter habeo, quod mihi perſuadere non poſſim, qui huiuſmodi homo ſit, alibi, quàm ad Antonini columnam habitare, eúmque ad propinquos deducendum, vt inſanientem vinculis conſtringant, nullus dubitem.

XLV. *Cuiuſque ſub nomine latet hoſtis inimicitias profeſſus.* Malim potius credere à frigidâ ſeptentrionis plagâ odijs implacabilibus in nos furentem ſemihæreticum colubrum eſſe, qui nouis ſubinde ſibilis, venenatiſque libellis, quamuis Orco proximus adhuc nos inſequitur, tàm furioſè, quàm fruſtra; venenum enim reſorbere cogitur, & quamuis neſcio quo tutus aſylo ſibi placeat, ſequentem nihilominus

minus à tergo, lento licet pede, pœnam scelestus non effugiet. Quisquis demum sit Pseudo-Constantinus, vides opinor, Constantine, quàm parum rumoribus fidendum sit, quod ideo monui, vt Pseudo-Constantini, qui litteras sine auctore fabulosissimæ calumniæ plenas vulgauit, liuidum ingenium cane peius, & angue te odisse, atque execrari omnes intelligant. Sed de primâ Florentinæ accusationis parte hactenus; iam ad secundam transeamus.

XLVI. *Alterum accusationis caput de miraculo ex ignorantiâ Hispanicæ linguæ.*

Inuehitur igitur in Nierembergensem, quòd in vita Ignatij Hispanicâ scripserit Merlum, qui se iugulauerat, & semimortuus iacebat vocato à nostris in vota Ignatio, ad se redijsse, quod ille Hispanicis vocibus expressit duabus *Degolloße*, & *reuiuio*; Has iste voces per summam Hispanicæ linguæ ignorationem ita interpretatur, quasi scripsisset Nierembergius eum mortuum, & ad vitam fuisse reuocatum, quæ vis Hispanicarum vocum non est, neque enim quicunque iugulum vulnerantur, occumbunt, & *reuiuio* idem Hispanis est quod Italis, *riuenne*, ac Latinis, ad se redijt. Porrò reuiuiscere latiùs admodum pertinere, quàm sit à morte reuocari quis ignorat?

XLVII. *S. Ignatij ope imploratâ redijsse Merlo sensum, & loquendi facultatem probatur testibus nobilissimis.*

Verùm quæ ad Ignatij opem pertinent, in qua rei cardo vertitur, quàm verè scripserit Nierembergensis ijs ipsis testibus, qui vota nuncuparunt productis iam manifestissimè demonstrabo; nam Merlum Societati nomen dedisse, vt famæ additamentum à narratione Nierembergensis abradendum esse non nego. Sed non hoc agimus, & parum hoc accusatoris interest. Vos igitur appello, Francisce Semine, & Laurenti Incuria, qui votum concepistis, præsentémque opem sanctissimi parentis Ignatij experti estis; Te, Aloysi Barde, qui Merlo animam agenti affuisti, eúmque vt vocem recepit Christiani officij admonitum, & conscientiam confessione expiantem audisti, atque à viuis abeuntem, vt putabatur, Christiano ritu, ac Sacramentis armasti. Te etiam Petre Alfarole, qui in eodem Collegio Rhetoricam profitebaris. Hos ego testes produco, viros nimirum scientiâ, eloquentiáque Italiæ notos, & religiosis virtutibus claros, quorum testimonijs temerariam illam epistolam, ne ipsa quidem, quamuis effrons sit, componere audeat impudentia. Illa enim incerto editur auctore; hæc certis, appellatísque concipiuntur: Ille vulgi rumores, & famæ leuitatem amplectitur;

hæc ab ipſiſmet teſtibus geſta narrant: illa propria lubentia ſiue à Monacho neſcio quo ſcripta, ſiue à Pſeudo-Conſtantino, vt ſuſpicio eſt conficta vulgatur; hæc ab iuratis edita, & à legitimis Scribis excepta producuntur, vt profectò videas Conſtantine, quantâ veritatis iniuriâ, tanquam ad puros veritatis latices ad illam epiſtolam prouocet Pſeudo-Conſtantinus, quæ lutulentis vſque mendacijs redundat. Sed audiantur teſtes.

TESTIMONIVM FRANCISCI Semini.

XLVIII. *Primus teſtis Franciſcus Seminus legitimè interrogatus.*

Milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo. Die Mercurij decimo tertio Auguſti, in Veſperis in Palatio Archiepiſcopali Genuæ.

Multùm Reuerendus Pater Franciſcus Seminus venerabilis Societatis Ieſu, ætatis annorum quinquaginta circum circiter teſtis examinatus per perilluſtrem, & Reuerendiſſimum Dominum Iulium Cæſarem Boream Vicarium Archiepiſcopalem Genuæ, & per me Notarium, & Cancellarium infraſcriptum receptus, ad inſtantiam admodum Reuerendi Patris Fabij Ambroſij Spinulæ Præpoſiti Domus Profeſſæ dictæ Societatis Genuæ ſuper infraſcriptis, & eidem Reuerendo Patri Franciſco teſti delato iuramento, prout iurauit ad delationem præfati Reuerendiſſimi Vicarij tacto pectore more Religioſorum, de veritate dicenda interrogatus &c. ſuo iuramento dixit

Quod anno 1626. XII. Kalen. Iunij per vniuerſam Florentiæ Vrbem rumor emanauit in vulgus, quod in Collegio Patrum Societatis Ieſu, quod Diui Ioannini appellant

lant Ioannes Antonius Merlus plura, & quidem letha- XLIX
lia vulnera ab iisdem Patribus Societatis accepisset, *Eius narratio miraculum asserit.*
quódque præcipuus tanti facinoris autor extitisset P. Be-
lisarius Tassonus, cui Merlus paucis ante diebus grauem
ignominiæ notam falsò inusserat.

Et quia ipsemet Merlus, qui reuera sibi sponte vulnera inflixerat rei veritatem testari non poterat, quoniam, & loquendi & sentiendi vsum omnino perdiderat, eò quod in mortis articulo versaretur, ob tria præsertim vulnera, quibus, & in gutture, & versus cor sese ipse confecerat, Collegij Patres, ac præsertim P. Laurentius Incuria, & ego bono nomini, famæque consulentes, verentésque ne Societas tanto cum dedecore tàm ignominiosam notam subiret immeritò, ad præsidium, ac opem Diui Ignatij confugimus, & facultate ad hoc obtentâ à P. Cosmo de Pazziis, qui id temporis pro Rectore Florentinum regebat Collegium D. Ignatio votum vnanimiter nuncupauimus, vt nimirum salus redderetur emorienti, vel saltem eousque, vt Patrum innocentiam, & rei veritatem posset aliquo pacto testificari: emisso voto statim iuuenis sentiendi quidem vsum, sed non loquendi recepit, omnibúsque, qui famâ permoti cateruatim confluxerant, non modò in plateam, ac domum, verùm in ipsum cubiculum, in quo Merlus vulneratus, ac propè exanimis iacebat, & signis, & manibus attestari cœpit, quod ipsemet sese sauciauerat, quódque Patres ne eum quidem leuiter tetigerant, atque hunc in modum patefacere aliqualiter innocentiam Patrum, in quos Ciuitas propemodum vniuersa fremebat ob facinus,

quod iam vulgatum erat ab ipsis fuisse perpetratum; sed quia Patres duxerunt rei veritatem, non satis liquidò demonstrari per signa, quæ saltem inuidi, ac praui ex voluntate poterant interpretari, maiori precum ardore D. Ignatij auxilium expetiuerunt, ac insuper opem Beatissimæ Virginis ab Angelo Salutatæ, iteratísque votis enixè petierunt, vt iuueni ea concederetur facultas, qua vt nuper signis, ita etiam voce verum omnibus testificaretur. Extemplò iuueni loquendi vsus est restitutus, & cunctis qui aderant, qui certè erant complures, voce satis intelligibili dixit; Se sibi ipsi vulnera intulisse; quoniam cùm Patres renuissent eum dimittere, postquam scripto, quod propriâ manu exarauerat, propriόque nomine subscripserat, ac iureiurando firmauerat, retractasset; quæ contra Patrem Tassonum dixerat, & sparserat in vulgus, timere cœperat, ne Patres euocassent Satellites, qui vinctum in carcerem ducerent, pœnásque sumerent de crimine, quod ipse paulò ante confessus fuerat. Atque hæc eadem postea compluribus confirmauit, eadémque die iuridicè dixit à Cancellario Alexandri Martij Medicei ea tempestate Archiepiscopi Florentini, & administris Præsulis Giglioli eodem tempore apud Magnum Etruriæ Ducem Nuntij Apostolici interrogatus. Hoc ita gestum est, & verum est.

L. Fides publici Scribæ, &c. *Interrogatus &c. causa scientiæ. Respondit, quia ego testis eo tempore præsenseram in dicto Collegio, & rebus gestis, ac testificatis interfui.*

De quibus omnibus &c. per me Ioannem Baptistam

Badaracum Notarium, & Curiæ Archiepiscopalis Genuæ Cancellarium, &c. Testes Rev. P. Iulianus Sanellus, & Eneas Marzante familiares prædicti Reuerendissimi Vicarij, & vocati, & rogati &c. Extractum est in omnibus vt supra, vltimus Ioannes Baptista Badaracus Notarius, & Curiæ Archiepiscopalis Genuæ Cancellarius, &c.

Iulius Cæsar Borea iuris vtriusque Doctor, Prothonotarius Apostolicus in Archiepiscopatu Genuæ Vicarius generalis. Vniuersis, & singulis fidem facimus, & attestamur dictum M. Ioannem Baptistam Badaracum, qui dictam attestationem recepit, & manu sua propria subscripsit fuisse, & esse publicum, authenticum, & fide dignum Notarium Venerandi Collegij Dominorum Notariorum præsentis ciuitatis Genuæ, necnon dictæ Curiæ Archiepiscopalis Cancellarium, scripturísque publicis per eum confectis & subscriptis continuò in iudicio, & extra plenam fidem adhibitam fuisse, & adhiberi. Datum Genuæ in Palatio Archiepiscopali sub sigillo vti solito, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo, die decima quarta Augusti.

Ioannes Baptista Arouius Notarius, & Curiæ Archiepiscopalis Secretarius & Cancellarius.

Loco † sigilli.

TESTIMONIVM ALOYSII BARDI Societatis IESV.

LI. *Secundus testis Aloysius Bardus,*

IN nomine Domini, anno ab incarnatione eiusdem millesimo sexcentesimo quadragesimo secũdo, inditione vndecima die decima tertia Mensis Martij: Placẽtiæ in Collegio multum Reuerendorum Patrum Societatis Iesu Placentiæ, & in quadam Camera superiore respectiuè versus claustrum dicti Collegij, coram Reuerendo Domino Carolo de Comitibus, & Reuerendo Domino Octauio Malaraggia ambobus Clericis Placentinis testibus &c.

Ibique constitutus, & existens in præsentia mei Notarij infrascripti, testiumque suprascriptorum ibidem præsentium, audientium, & intelligentium multum Reuerendus Pater Aloysius Bardus Societatis Iesu Professus, & ad cautelam etiam in præsentia, & cum consensu admodum Reuerendi Patris Francisci de Rosanis dicti venerandi Collegij Rectoris præsentis, & consentientis, vt veritati sit locus, ipsáque veritas semper elucescat, & aliàs ad omnem bonum finem, & effectum, dixit confessus, & protestatus fuit, medióque iuramento per eum cum consensu vt supra, more Religioso tacto pectore præstito, verum esse affirmauit in omnibus, & per omnia, prout in scriptura manu propriâ dicti Reuerendi Patris Aloysij scripta, & subscripta, mihique Notario infrascripto tradita in præsenti instrumento registranda prout ipsam registraui, & est tenoris infrascripti, videlicet.

Ant

Ante annos XVII. Florentiæ morarer Ioannes Antonius Merlus adolescens Florentinus vulnerauit se lethaliter in Collegio Societatis Iesu Florentino, cuius Ecclesia erecta in honorem S. Ioannis Euangelistæ dicitur vulgò S. Giouannino, cui (cùm animam ageret voce penitus, ac intelligendi sensu ita destitutus, vt signum attritionis sufficiens ad Sacramentalem absolutionem ostendere nequiret) ego adsui, vt illum in spiritualibus iuuarem. Cúmque rumor esset eum à nostris Patribus vulneratum fuisse, multitudóque ingens ad Collegium conflueret ac tumultuaretur, aliquot nostri Patres veriti tantam infamiam atque innocentiæ conscij edito voto opem S. Ignatij implorarunt, & Merlo redijt vox, qui liberè coram me, & Domino Staccolo Serenissimi Magni Ducis Auditore, cuius nomen est Raphael, si bene memini, confessus est veritatem, se nimirum propriâ manu vulnerasse desperatione quadam adactum. Quod fuisse valde extraordinarium Dei beneficium, visum est mihi, & prædicto Auditori Staccolo. Conualuit deinde Merlus, qui, vt audiui ex fide dignis, eadémque testatus est coram aliquo ex ministris Curiæ Archiepiscopalis. Ego Aloysius Bardius Societatis Iesu Professus totum hoc manu propriâ Placentiæ die decima secunda Martij 1643. & cum iuramento testor esse verum, & ad perpetuam rei memoriam. LII. *Eadem aij mat.*

Ipsa prius lecta prout ad præsentiam suprascriptorum testium præsentium ipsam legi, dictus reuerendus Pater Bardius rogauit me Notarium infrascriptum, vt inde publicum conficiam instrumentum.

Signum † Tabellionatus. *Ego*

LIII. *Scribæ subscriptio.* *Ego Nicolaus de Comitibus Archiepiscopali auctoritate Notarius publicus Placentinus omnibus, & singulis interfui, præmissum instrumentum manu propriâ breuiaui, & in hanc publicam formam licèt aliena manu scriptum mihi tamen fida edidi, vnà cum appositione mei soliti tabellionatus signi, in forma solita mihi, & in fidem, &c.*

Nos Franciscus Saluaticus de Rizzolo S. V. D. Ecclesiæ Cathedralis Placentiæ Archipresbiter Illustrissimi & Reuerendissimi in Christo Patris, & D. D. Alexandri Scappij Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Placentini, & Comitis Vicarius generalis vniuersis &c. attestamur supradictum D. Nicolaum de Comitibus fuisse, & esse publicum, & legalem Notarium Placentinum, cuiúsque instrumentis, & scripturis publicis plenam fidem in iudicio, & extra in dies adhiberi. In quorum testimonium, &c. Datum in Palatio Episcopali Placentiæ die 14. Martij 1642. ab Incarnatione Domini, &c.

Loco † sigilli.

Paulus Parma Notarius
Placentinus de mandato &c.
sub tit. &c.

TESTI

TESTIMONIVM LAVRENTII Incuriæ.

EGo infrascriptus, harum litterarum testificatione fidem facio, Florentiæ anno salutis CIↃIↃCXXVI. XI. Kalendas Iunij totâ eâ Vrbe percrebuisse Ioannem Antonium Merlum in Collegio Patrum Societatis Iesu, plura eaque lethalia vulnera ab eiusdem Societatis Patribus accepisse, atque adeo ea illi præcipuè inflixisse P. Bellisarium Tassonum, cui videlicet Merlus sub eos dies calumniam admodum grauem imposuerat falsò, ac morti proximus ob tria præsertim vulnera in faucibus, & circa cor, non potèrat pro veritate rem, vti euenerat, enunciare. LIV. *Laurentij Incuriæ tertij testis plena narratio iurata,*

Proinde Patres eiusdem Collegij; atque in primis Franciscum Seminum, ac me infrascriptum, vt famæ Societatis consultum esset, atque vt ea ignominiæ nota Collegio esset penitus detersa, deliberasse sancti Ignatij Conditoris opem votis conceptis implorare, vsque adeo annuente P. Cosmo de Pazzijs, eo tempore Collegij eiusdem Prorectore, vnanimi consensione vota nuncupasse Diuo Ignatio, illúdque vnicè petiisse, vt Merlius esset ijs vulneribus superstes, quo ita ipse de se loqui posset, atque ab ea calumnia, quæ in vulgus manauerat, innocentes Patres eiusdem Collegij liberaret. Statim autem à votis nuncupatis, quod sanè admirationi fuit Merlium ad sensus rediisse, & tametsi nondum loquelæ compos euasisset, attamen ita vt semianimis iacebat, LV. *De voto nuncupato,*

manibus, ac nutibus significare cœpisse ijs, qui tum aderant frequentissimi in cubiculo (confluxerant enim plurimi) se utique illa sibi vulnera sponte inflixisse, neque ex Patribus eiusdem Collegij quemquam sibi vel leui manu nocumentum vllum intulisse.

LVI. *Et reddita Merlo voce.* *Quia tamen signa ea muta, & elinuiga satis tueri nostram famam aduersus sinistras maleuolorum interpretationes non videbantur, idcirco Patres ante dictos vota, & preces congeminasse, nec Diuo Ignatio dumtaxat, sed Sanctissimæ Dei Genitrici ab Angelo Salutatæ supplices fuisse insuper, & perrogasse, vt linguæ vsus Merlio restitueretur, quo ita eius etiam voce, ac sermone, ne dum signis, & multis nostrorum innocentiæ consuleretur. Eo ipso autem momento Merlium loqui cœpisse, ac testari cunctis, qui magno numero intererant, se vtique illa vulnera sibimet intulisse, propterea quod metueret, ne Patres Collegij eum satellitibus conuocatis Iustitiæ publicæ puniendum traderent, vt potè grauissimæ calumniæ reum: quandoquidem haud ipsum dimiserant, sed in eo cubiculo adhuc detinuerant, postquam chirographo suo calumniam reuocauerat impactam Patri Belisario Tassono, id subscripto nomine proprio ex adiecto etiam iureiurando firmauerat: detinuerant verò Patres Merlium, vt ipso præsenti fieret calumniæ reuocatio coram illis, quibus rem ipse à se confictam primò narrauerat. Demum hæc omnia deinceps ipsum plurimis testatum esse, ac ne fides publica eius attestationi deesset, exceptam hanc eius innocentiæ nostræ assertionem fuisse formula solemni tum à Cancella-*

rio

rio Illustrissimi, ac Reuerendissimi Alexandri Martij Medicei Florentini Archiepiscopi, tum ab Administri Illustrissimi, & Reuerendissimi Præsulis Giglioli Apostolici Nuncij apud Serenissimum Etruriæ Magnum Ducem. In quorum omnium fidem has litteras dedi, & manu propria subscripsi. Romæ die XXIII. Augusti, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo.

Laurentius Incuria Societatis Iesu, etiam cum iuramento quatenus opus est in iudicio valituro.

TESTIMONIVM PATRIS Petri Alfaroli.

EGo Petrus Alfarolus Sacerdos Societatis IESV LVII.
fidem facio anno 1626. die 29. Maij, Ioannem Antonium Merlium Tabellionem Archiepiscopatus Florentini cùm Domum nostram venisset, accersitus, vt recantaret quam cuidam ex Patribus nostris calumniam struxerat, cùm iam recantasset, & duo accerserentur testes, qui maiorem adhiberent recantationi fidem, in suspicionem venisse (vt ipse postmodum testatus est) non testes ad fidem, sed satellites ad sui capturam quæri, ac proinde in desperationem venisse, eâ maximè de causâ, quòd clausis domus foribus nullus fugæ pateret aditus. Desperationis hic exitus fuit, vt se gladiolo, siue scriptorio cultello in asperâ arteriâ vulnerauerit, & circa

Quartum testi., Petrus Alfarolus.

præcordia ferrum ita altè adegerit, vt aliqua ex ijs vulneribus lethalia haberentur, & halitu suo accensam candelam extinguerent vt ipsemet vidi, qui ex Superiorum mandato quotidie adstabam ægrotanti. Hoc pacto sauciatus statim defecit animo, seseque recepit cadens in angulum cubiculi, stricto tamen tam arctè gladiolo, vt ægrè à Chirurgo ab eius manibus, nec nisi per vim extrahi potuerit: atque ita inuentus est ab vno è nostris cubiculum ingresso & à meipso qui eius clamorem exaudiens, vt cubiculo proximus, accurri subleuaturus, & in aurem vt scelerum suorum à Deo veniam peteret, insinuaturus. Hoc rerum statu perquiritur à genitore filius, quoniam domum pransurus non redibat. Interrogati Patres, vbinam gentium esset, saucium illum & prostratum in angulo ostenderunt, quo viso spectaculo, domo nostrâ sese proripiens in publicum contentissimâ voce exclamat: ô me miserum, ô Iesuitarum impietatem, qui datâ indemnitatis sponsione filium meum proprijs in ædibus iugularunt: eiusmodi querimonijs excitata in nos Ciuitas est, & parùm abfuit, quin impetu facto domum totam non dirueret, nósque omnes lapidibus obrueret. Interim iustitiæ præsides suas omnino partes tueri festinabant; & quia neque populi confluentis multitudo placari vllo modo poterat, nec iudicibus satisfieri, ægro iam semimortuo & vocis omnino experte, optimum factu existimarunt. P. Franciscus Seminus tunc temporis concionator, & Pater Laurentius Incuria Philosophiæ Professor cœlestem opem implorare, & S. P. Ignatio voto se

obligare.

obligare, aliquam fandi potestatem, & veritatis confessionem abeunti iuueni, & penè expiranti adolescenti impetraturi. Habita à P. Vice-Rectore Cosimo de Pazzijs eiusmodi nuncupandi votum potestate, in Ecclesiam præproperè cæteris cum Patribus, ac Fratribus publicum S. Patriarchæ Ignatio votum lachrymis ijs, atque suspirijs, quæ casus exposcebat, emiserunt. Mirum dictu, vix emisso voto ad cubiculum vbi Fiscus cum Tabellione delicti corpus agniturus, & in tabellas relaturus aduenerat, reuertuntur: cùm ecce tibi saucius iuuenis clausos ad illam vsque horam aperit oculos, erumpit in suspiria, & perinde ac si ad mentis sanitatem rediret, ac sese reciperet: vbi sum inquit, & quid vos vultis? Interrogatus quis ipsi vulnera inflixisset, se sui ipsius carnificem extitisse confessus est, non sine Patrum causâ qui illum quodammodo ad desperationem coegissent, non liberum domus exitum relinquentes post retractatam calumniam: quo audito, omnes discessimus, dimissi ab illis qui rem diligentius inspecturi, & in acta relaturi aduenerant, in quibus vt videre est eandem ratam ipse facit & comprobat veritatem, ac sæpius idem tam me præsente & audiente, & pluribus viris nobilibus qui curiositate quadam ducti aduenerant, contestatus est, quàm absente, vt à multis accepi, confirmauit. Gratia hæc vocis & vitæ recuperatæ ad veritatis fidem, miraculi loco ab omnibus Patribus, quin à Chirurgo ipso habita est, qui medicamenta prius tanquam mortuo adhibere recusans, hoc patrato miraculo, nihil omisit, vt ægrotum ad pristinam reduceret sanitatem, quam demum Deo fauente consequutus est.

Non defuere tamen, qui suspicarentur ægrotum nostros intra parietes degentem semper ad mentem nostram, non pro veritate loquuturum, quare post quadragesimum diem parentibus concessus, & in Canonicam Diui Laurentij translatus, idem semper constantissimè asseuerauit, quamuis muneribus illectus, vt contra veritatem fateretur aliquid, etiam oblatâ ingenti pecunia, quod mihi ab amicis relatum fuit, vt si quæ me coquebat cura seruandi bonum religionis nomen, omnem sollicitudinem exuerem, audita constantia sauciati etiam conualescentis adolescentis. In quorum omnium, & præcipuæ veritatis testimonium requisitus hic me subscripsi, & ita iuramento meo tacto pectore affirmo ad præsentiam etiam infrascripti Notarij, hodiernâ die Iouis 2. mensis Aprilis anni 1643. indictione vndecimâ occurrente. Ego Petrus Arsarolus Sacerdos Societatis IESV manu propria.

LVIII. *Ego Hieronymus Minutus, Ciuis & Notarius Collegiatus Cremonæ, vidi proprijs oculis supradictum admodum Reuerendum Patrem Petrum Arsarolum Sacerdotem Societatis Iesu, eius manu propria subscribentem supradictam attestationem seu facti seriem. In quorum &c. testimonium requisitus pro fide hic me subscripsi sub mei consueto tabellionatus signo hodierna die Iouis secunda mensis Aprilis, anni 1643. Indictione XI. currente.*

Loco † Signi. H. M.

Nos

Nos Sebastianus Ferrarius, Hieronymus Summus, & Ioannes Baptista Glussianus Abbates Venerandi Collegij DD. Notariorum Cremonæ fidem facimus & attestamur suprascriptum D. Hieronymum Minutum Causidicum fuisse, & esse Notarium Collegij subscripti eiusque instrumentis, documentis, scripturis & actis publicis, hîc & vbique locorum in iudicio & extra semper adhibitam fuisse & in dies adhiberi fidem. In quorum &c. Datum Cremonæ die secunda Aprilis anno 1643. Indictione vndecima currente.

Antonius Sar. Ciuis & Notarius Crem. & dicti Venerandi Collegij Cancellarius pro fide, &c.

Loco † sigilli &c.

Equidem quamuis domestica hæc testimonia sint, nihilominus cùm à viris Religiosissimis interpositâ etiam Sacramenti Religione dicantur, si his fidem habere renuat Pseudo-Constantinus, eum ex accusatorum subselijs longè teterrimum esse, tu quidem iudicabis, Constantine; Verùm, vt effrontis calumniatoris audacia penitus concidat, seque pessimâ iugulatáque in caussâ versatum esse tandem sentiat; age, Philippi Arrighetti viri nobilissimi atque summo templo Florentiæ Canonici Ornatissimi, quem honoris caussâ nomino, litteras ad Alexandrum Vrsinum Cardinalem datas in medium producamus, quibus & nostrorum hominum innocentia, & calumniatorum furor, & Ignatij præsens patrocinium ab ipso, qui tragœdiæ interfuit, summa fide ac grauitate narrantur.

LIX. *Conuincitur calumnia ex Philippi Arrighetti literis ad Alexandrum Vrsinum Cardinalem.*

LETTE-

LETTERA DEL SIGNORE Filippo Arrighetti al Signor Cardinale Orſino.

LX. *Quæ Italicè recitantur.*

PErche io ſon certo dell' affetto, che V. S. Illuſtriſſima porta alli Padri della Compagnia di Gieſu, li eſporro vn caſo ſucceſſo Venerdi paſſato, che fù li 29. di Maggio.

Vn giouine di baſſa conditione d'anni 21. hauendo detto coſa, che notabilmente pregiudicaua alle ſcuole, fù neceſſario, che egli & altri ſi diſdiceſſero, & perciò fù condottò al Colleg. doue formò vna ſcrittura di ſua mano, nella quale con giuramento rendeua la fama à chi l'haueua tolta, & perche deueua legerſi alla preſenza vi vn'altro à chi lui hauea parlato, & chi ſi era anchor lui diſdetto, mentre queſto s'aſpettaua, che compariſſe, il giouane ſopradetto eſſendo in vna ſtanza à porte aperte, & entratoli ſoſpetto, che li Padri haueſſero mandato per li sbirri, & rimordendoli la conſcienza, fù talmente tentato dal nemico, che ſi diede con vn temperino vna ferita nella gola, & vn'altra ſotto la poppa manca con altre punture, & volendo vedere li Padri quel che faceua in quella ſtanza, lo trouorno, che non parlaua, onde leuorno le grida, ſi chiamò il Cerugico, vi corſe il Padre di lui, il quale cominciò ſubito à gridare, che li Geſuiti l'haueuano ammazzato, & coſi ſi ſparſe la voce per tutta la Città; li Padri vedendoſi in queſto frangenti ricoſſero

ricorsero all'Altare di Santo Ignatio, & con lagrime li fecero voto, acciò si manifestasse la verità, & in questo punto si riscontrò, che il giouine ribebbe la parola, & cominciò à poco à poco à dire, che si era ferito da per se, & narrò questo fatto à più persone, si confessò, & communicò. Vi comparse la Corte di Monsig. Nuntio, come anche quella di Monsignore Arciuescouo, & poi fù leuato di quella stanza, & portato in vna Camera dè Padri, doue à molte genti affermò, che si era dato da per se. In tanto nel popolo si solleuò vna sinistra opinione contra li Padri à quali fù necessario serrare le porte, le quali erano tuttauia battute, & le voci erano brutissime contra li innocenti Padri, nè valeuano tanti testimonij à quietare il popolo, lo stesso Padre del giouine sentì di bocca del figlio il vero, come anchora molti suoi parenti, li quali tutti sono restati appagati, & riconoscono la carità grande, che li vsano hoggi i Padri, & confessano la verità. La gente tuttauia maligna, crede, che li Padri habbiano corrotto con denari il Padre & li parenti, & il giouine, & che li processi, che manifestano la verità siano corrotti.

Di modo che V. S. Illustrissima vede la gran persecutione & mortificatione, che patisce la Compagnia, la fama della quale comincia vn poco à risorgere, & se non fosse l'ostinatione della gente, douerebbe tornare questo fatto à molto maggior gloria de poueri Padri, li quali se Iddio non rendeua la fauella al giouine, & se fusse morto subito restauano con eterna infamia. Il giouine hoggi viue con qualche speranza, & se si ordinerà à

passeggiare la Città dirà ad ogni vno la verita. Io mi sono affaticato à beneficio de' Padri quanto hò possuto, & à quanti sono loro amici e rincresciuto il fatto. Ma spero verrà tempo, che si spenga à fatto questo sinistro concetto. Vna risposta fatta dalla sorella maggior del nostro Gran Duca è degna d'essere notata poiche à tauola la sera del fatto disse à quelli, che in contrario parlauano, che crederebbe piu facilmente, che vn Giesuita resuscitasse vn morto, che egli ammazzesse vn viuo. E sia sempre lodato Dio, il quale vuole, che si auanzino per mezzo delle tribulationi &c. In Fiorenza 1. *di Giugno* 1626.

Di V. S. Illustrissima & Reuerendissima,

Seruo humilissimo
Filippo Arrighetti.

EPISTOLA PHILIPPI ARRIGHETTI ad Alexandrum Vrsinum Cardinalem.

LXI. *Et Latinè redduntur.*

QVoniam quàm beneuolo in Patres Societatis IESV Illustrissima & ReuerendissimaDom inatio Vestra sit animo mihi exploratissimum est; exponam illi paucis, quid proximo die Veneris XXIX. Maij gestum sit.

LXII. *Meris obloquentis calumnia ipsius chirographo reuincitur.*

Iuuenis quidam tenuioris fortunæ, annorum viginti & vnius, in graue scholarum præiudicium infamiam confinxerat, vnde necessarium fuit, vt ipse vnà cum alijs

reua

reuocaret ea, quæ per iniuriam dixerat. Ad hunc igitur finem ductus fuit ad Collegium vbi scripto per iuramentum firmato, famam cui depeculatus illam fuerat, restituit. Quia verò scriptura hæc legenda erat coram alio, qui infamiæ confictæ conscius itidem fuerat, qui item recantauerat, ipseque proinde illuc aduocandus erat dum hîc vt compareat expectatur, supradictus iuuenis aperto in conclaui existens rem in suspicionem conuertit, & ad se capiendum apparitores expectari falsò imaginatus est.

Quare tentatione Dæmonis eo redactus est, vt cultellum scriptorium, qui ad manum erat, arreptum, in guttur infigeret, & iteratis ictibus sub papilla sinistra semet punctim sauciaret. Interea ad locum vbi iuuenis morabatur, Patres eius visendi causa redeunt, quem prope exanimem, humique prostratum reperiunt. LXIII. *Eius impotens desperatio, & vulnera.*

Fit clamor, vndique concurritur, chirurgus aduocatur. Adest & parens dicti iuuenis, tollit clamorem, vociferatur, & Iesuitas filio suo necem intulisse, idemtidem per summam iniuriam calumniatur, qui rumor in tota mox etiam Ciuitate disseminatur. LXIV. *Patris ira, & clamores.*

His in angustijs constituti Patres ad Altare Sancti Ignatij tamquam ad vnicum spei asilum supplices accurrunt, & vota, quibus veritatem pateficri cælitus implorabant, cum lachrymis concipiunt. Adnotatum est EODEM PVNCTO TEMPORIS redijsse ad se iuuenem, confirmatumque ad loquendum, palam professum seipsum vulnerum suorum causam, nec vllum alium. Itaque factum pluribus personis narrauit. Vnde peracta LXV. *Ignatius à Socys implo-ratus præsenti ope illu adest:*

Sacramentali confessione, mox etiam communicauit.

LXVI. *Curia Nuntij & Archiepiscopi aduolat.* *Dum hæc fiunt accurrit Curia Nuntij Apostolici, & Archiepiscopi. Adolescens interea ex eo conclaui in aliud Patrum cubiculum delatus est, vbi multis coram fassus est, seipsum sibi vulnera intulisse.*

LXVII. *Plebis tumultus:* *Hæc inter sinister in populo contra innocentes Patres rumor disseminatus est; Itaque Collegij fores occludere fuit necesse, quæ continenter quatiebantur, & fœdissimæ audiebantur voces. Nec tot testes populum compescere poterant.*

LXVIII. *Patrum laus.* *Ipse adolescentis pater ex filij ore audiuit, vt multi etiam eius affines, qui omnes sibi satisfactum putantes magnam charitatem quâ hodie Patres erga adolescentem vtuntur agnoscunt, & veritatem palam fatentur. Maligni nihilominus homines sibi persuadent auro à Patribus emptos affines, Patrem, Adolescentem, ipsasque publicas tabulas, quibus veritas manifestò constat.*

LXIX. *Diuinæ prouidentiæ occultæ, arcanæque rationes.* *Itaque Illustrissima V. D. persecutionem ac mortificationem videt Societatis, cuius fama paulatim respirat. Certè nisi obstinatio esset vulgi, hæc res tota in gloriam desertorum Patrum redundaret, qui nisi Deus iuueni loquelam restituisset, aut si statim occidisset, æternâ erant infamiâ laboraturi. Iuuenis hodie viuit non sine aliqua vitæ spe, quod si ita conualescet vt vrbem obire possit, omnibus veritatem palam dicendo faciet. Ego officio meo erga Patres non defui, eorumque amicis omnibus res doluit. Sed spero suo tempore aduersam hanc famam compescendam.*

Vox sororis maioris natu nostri Serenissimi Magni

Ducis.

Ducis digna est quæ notetur. Nam super cœnam ijs, qui fabulam narrabant dixit, Credituram se faciliùs à Iesuitâ suscitatum mortuum, quàm viuum hominem occisum fuisse. *Laudetur semper Deus, qui suos per tribulationes vult crescere. Florentiæ prima Iunij 1626.* LXX. *Margarita Tuius vix.*

Illustrissimæ, & Reuerendissimæ D. V.

Humillimus Seruus
Philippus Arrighettus.

Quid hîc amplius mutire audeat calumnia? quis miraculo eximat adolescenti, tam in tempore redditam vocem? Non me latet quid contra possit dici ab his, qui miraculorum rationes seuerius examinant; scio affirmari posse, non omnino extra naturæ leges reditum illum sensus, ac vocis conuinci, & casu fieri potuisse, vt cum nostrorum votis concurreret. Verùm si quis adolescentis vulnera ex Medici, qui obligauerat, dictis penitus inspiciat, videbit optimâ fide, tum à nostris qui Florentiæ erant, alijsque ciuibus pro miraculo habitum; tùm ab Ioanne Eusebio Nierembergensi eâdem scriptum. LXXI. *Ex dictis, probatisque satis Nierembergensis constat historica fides.*

Cæterùm qua fronte, qui tantâ vecordiâ Ignatij gloriam obscurare conatus est Pseudo-Constantinus, testem inuocat Deum, séque solemnibus deuouet diris, si quidquam in virum Sanctum dixerit, non satis expedio. LXXII. *Impietatis P-C. accusatur,*

Hoccine est Benedictini nominis vindicem agere, quo tu nomine, Constantine, gloriaris? Fac quæ de Ignatio mira traduntur, conficta omnia, & vltra Milesias fabulas esse, quid hoc tandem Benedictinorum interest? Illísne gloriæ aliquid ex aliorum accusatione accedat? hisce tàm sordidis artibus magno illorum nomini fulgor addatur? Illine fœda inter accusatorum nomina suum velint profiteri? hoc tu faceres, Constantine? Quid adhuc moraris? Quin pessimi Sycophantæ, qui tantam tibi labem infamiæ aspersit, audaciam comprimis, amentiam castigas, liuoremque in ipsos cælites redundantem, editis codicillis im- LXXIII. *Et iniuriarum in clarissimum Benedictinorum nomen postulatur.*

pietatis accusas? Hoc à te Benedictini nominis amplitudo, cui pessimis hisce artibus accusator officit; hoc erga magnum Dei seruum Ignatium reuerentia; hoc amicitia nobiscum tua; hoc denique à te fama tui nominis postulat, atque flagitat; ne per alienum scelus, æternâ inuidentiæ, calumniæ, atque temeritatis infamiâ labores.



MALIGNITAS in Franciscum Xauerium.

I. *Francisco Xauerio Apostoli cognomen diripere conatur P-C.*



TIAMNE huic clarissimo Orientis sideri tenebras offundere audebit Pseudo-Constantinus? audebit? imo conabitur, vtque illius gloriam obscuret amarissimè pertendet. Quid integro iam sæculo euulgatum magis, quàm Xauerio Indiarum, vltimíque Orientis Apostoli cognomentum, non domesticorum adulatione, sed gentium omnium consensione datum? qui tantus populorum ac nationum consensus, diuinitatis præiudicium sequutus, à rerum gestarum magnitudine, miraculorum admirabilitate, gentium barbararum ad Christum conuersione, totoque vitæ instituto planè Apostolico excitatus tùm legitimè coaluisse videtur, quum Apostolicâ est auctoritate firmatus.

II. *Idque per improbissimam insaniam;*

Quæ enim maior accedere confirmatio potuit, quàm si & in Ecclesiasticas tabulas, quas Martyrologium dicimus, ad IV. nonas Decembris illius nomen tàm præclarâ additâ appellatione referretur, & in diplomatibus canonizationis tùm Ignatij, tùm ipsius Francisci Apostolus non semel appellaretur? Quæ quum ignota Pseudo-Constantino esse non potuerint, quo illius vecordiam nomine castigabimus, Constantine? Vnusne ipse, quod Christiani Orbis consensu delatum Xauerio Apostoli cognomentum, Pontifices, vt illi proprium esset, decretis suis sanctissimis sciuerunt; vnusne, inquam, ipse homulus ex argillâ, & luto fictus abrogare se posse credidit? Quæ hæc est insania? Sed audiendus est. Audiatur sanè; nihil enim sani dicet.

Quid

III. *Nam Boilius in Indiâ nunquam fuit,*

Quid enim? Boillius, ait, mortalium primus Columbi comes tenebras illas, quæ Insulæ Hispaniolæ per tot sæcula æternùm incubabant, illatâ Euangelij luce dispulit: Boillius aliquot septuaginta millia Idolorum ex aris deiecta confregit. Fac vera narret, neque enim mihi latet, quæ de Boillio leguntur, quid tandem colligit? Non ergo Xauerius, sed Boillius Apostoli cognomen meritus, & Xauerio satis magnificum erit Boillij Coapostolum nuncupari. Nonne prædixi, Constantine, hominem insanire? Quis enim Xauerium nouarum insularum quæ Americę obijciuntur, Apostolum vnquam appellauit?

IV. *Et si fuisset adhuc Xauerio integra Apostoli laus,*

At etiam in Indiam Monachi, antequam ad oras easappelleret Xauerius, nauigauerant, ab Emmanuele inclyto illo Lusitanorum Rege missi. Non ergo primus in Oriente, ante Monachos Euangelij sementem Xauerius fecit. Vide, Constantine, quàm imperitè, ne dicam improbè ratiocinetur. Nihil moror Monachos; erant in Indiâ, quum illam adijt Xauerius, Prædicatores, & Augustiniani, vt opinor, & certè Minores erant, qui Euangelij facem gentibus illis prælucerent; num igitur minùs Apostolus dicetur Xauerius, qui laborum infinitâ quadam contentione, atque admirabilium patratione ante omnes fuit? Et de Monachis docendum fuerat, vt suprà monere me memini, quas illi gentes adierint, à quibus auitos errores depulerint, quæ noualia Euangelio in Indiâ subegerint; quod quum facere non possit Pseudo-Constantinus, malignè ac malitiosè de hoc Xaueriano Apostolatu muginatur; quos enim populos in Oriente à Monachis ad Christum traductos comminiscetur, si in totâ Indiâ Monachum, vel hac superiori ætate visum esse nullum supra datis testibus probauimus?

V. *Nam plurimis populis primus Euangelij diem aperuit:*

VI. *Primum fuisse in Euangelio prædicando, vt Apostolus quis dicatur minùs est necessarium.*

Dic enim amabo, te Constantine, in Iaponiam quis primus Euangelij signa intulit? quis in Insulam Mindanarum? quis in plerasque reliquas magno illo in Oceano dispersas? Quis populos centum amplius linguis, moribus, ac religionibus dissonos adiuit, peragrauit, docuit? Quis supra decies centena capitum millia sacro abluit fonte? Hoc à te si nescit, Pseudo-Constantinus docendus est.

Nam si temporis tantummodo ratio habenda est, nec Petrus, nec Paulus Romanorum Apostoli habendi sunt; antequam enim illi Vrbi doctrinam traderent, iam Romæ Christi nomen auditum, illatúmque fuerat. Quid ego de

Gregorio

Gregorio dicam; qui à Beda Anglorum Apostolus verissimè dicitur, quòd missis Augustino, alijsque viris sanctimoniâ clarissimis, incolarum animis non primam quidem; nam à Petro, vel saltem ab eius discipulis hauserant, sed Euangelij tamen lucem attulit? Quid de magno Mogontinorum Archiepiscopo Bonifacio, qui iustissimè Germaniæ Apostolus salutatur, quum tamen illatam ab Apostolorum discipulis eas in oras Christi fidem ingentibus ipse laboribus longo post tempore excoluerit, ac sanguine dedemum obsignauerit.

VII. *Alioquin nec Bonifacius Germanorum dici potuit.* Elogiorum Cassin. pag. 40. veteris editionis.

Eum sanè totius Germaniæ Apostolum vir summâ eruditione, atque humanitate præditus Marcus Antonius Scipio in Petronace appellare non dubitauit in hæc verba. *Hoc eodem tempore Casinatis Monasterij sanctitas vbique notissima Bonifacium nostri Ordinis clarissimum sidus, Archiepiscopum Moguntiæ, ac totius Germaniæ Apostolum permouit &c.* Quis Scipionem accuset; quòd *Totius Germaniæ Apostolum* dixerit Bonifacium, quamuis non omnibus vastissimæ Regionis populis Euangelij facem, ac ne primus quidem, præluxerit? Nemo planè. Cur igitur si quis nostrorum hominum Indiarum, vt iam loquimur, Apostolum appellauerit Xauerium accusandus erit?

VIII. *Benedictinorum magnitudo P-C. mendacijs non indiget.*

Non indiget alienis laudibus Benedictina gens, quæ tot familijs aucta, non vnum Ecclesiæ Dei protulit Apostolum; illius enim alumnis magna pars, gentes ad Septentriones longè, latéque incolentes Christianam fidem referunt acceptam, suis illa bonis diues non inuidet alienis; proptereáque impudentissimè agit Pseudo-Constantinus, qui tuo nomine, quasi eius vindicis abutitur, vt quod ipse malignè molitur, tu egisse videaris Constantine; quæ sanè iniuria tibi minimè est dissimulanda. Et meritò quidem irasci debes; nam tibi mendacium adeo impudens affingit, vt non modò in te virum probum, sed ne in ipsum quidem Pseudo Constantinum, quamuis talium architectum, cadere potuisse vix oculi à me impetrent, vt credam. Sed fidem faciunt ineluctabili visionis testimonio, leguntur que

IX. *Quæ manifestissima sunt.* Lib. 1. cap. 8.

apud eundem hæc verba. *Insuper Patres nostri Lusitani in Collegio suo Conimbricensi, alijsque duobus etiam in eo Regno erectis iuuenes enutriunt Monachos, qui ad eandem mittuntur singulis triennijs Indiarum expeditionem.* Audis hæc Constantine,

Conſtantine, & non exclamas. O ſancta fides, quis te ab huius mendaciloqui hominis chartis vltra ipſos Indos iuſſit exulare? noſtrine Monachi ex Luſitaniâ in Indiam nauigant? idque dicere audet homo, qui ſe Benedictinum fingit, meúmque glorioſiſſimum vindicis nomen vſurpat? Egone diligentiſſimus quamuis ignotæ indagator ille veritatis tàm pingue, ac ſomniculoſum mendacium? Iure iraſceris, Conſtantine, non modò quia Monachi Benedictini in Indiam nulli nauigant, quod grauiſſimorum virorum ex illâ reducum teſtimonijs ſupra demonſtraui, ſed etiam quòd Boillij Apoſtolatum in medium tuo affert nomine, vt ineptiſſimus videaris.

X. *Eiuſdem Coſmographiæ ignorantia,*

Quid enim tàm ineptum, quàm dum de Indiâ agitur, de Boyllio ſermonem inferre, qui in Hiſpaniolâ Apoſtolum egit? An neſcit toto interfuſo Oceano, terrarumque parte longè maximâ interiectâ Hiſpaniolam ab Indiâ, cæteriſque ad Orientem ſolem regionibus diſterminari? ô præclarum Coſmographum, qui hæc confundit?

XI. *Et Chronologia.*

Quid ni enim facit, cui prædicationis Bouillianæ in Hiſpaniolâ conſequens eſt, Xauerium in Indiâ, Iaponiáque, reliquoque Oriente prædicantem illius *Coapoſtolum* eſſe? Quomodo enim vtrumque copulat? tempore? ac L. annis poſterior Xauerij fuit expeditio. Locis? ac toto diuerſi orbe abiere. Quomodo ergo Boillij *Coapoſtolus* Xauerius, ſi non iiſdem locis, non eodem tempore, ſed diuerſiſſimo, & quàm maximè diſtantibus prædicarunt?

XII. *Xauerio Apoſtolatus Orientis aſſeritur.*

Quæ eſt iſta audacia Xauerium Bouillio poſthabendi, vel hunc illi æquandi; cum hunc qui Apoſtolum appellet, vnus fortaſſe inueniatur Pſeudo-Conſtantinus, illum Orbis Chriſtianus, illiuſque Principes, ſummíque Pontifices tàm illuſtri, & quâ nulla in Eccleſiâ maior eſt, appellatione honeſtauerint? Dabo iam teſtes, quos reijcere non poſſit; quorum teſtimonijs docebo non domeſticorum aſſentatione, ſed orbis conſenſu, atque Pontificum ſanctiſſimis decretis hoc Xauerio cognomentum obueniſſe.

XIII. *Primò Nicolai Zambeccarij teſtimonio.*

Prodeas ergo primo loco Nicolaë Zambeccari, & eius, quam coram Gregorio XV. in publico Conſiſtorio de Ignatio, & Xauerio in Sanctorum numerum referendis habuiſti, orationis partem hic audiat Pſeudo-Conſtantinus; vt ſummi illius principis maieſtate, ac purpuratorum Patrum, cæterorumque præſulum fulgore perſtrictus ali-

 quando

quando tandem conticeſcat. Sic' loquitur Zambeccarius. *Indiarum Apoſtoli nomen conſequutus eſt, non tàm aliorum prædictionibus, aut Luſitanorum, Indorumque conſenſu populorum, quàm proprijs virtutibus, quibus ſe ad Apoſtolorum, vitam conformauit, ac donis, & miraculis, quibus ad Apoſtolorum gloriam extulit illum Deus: adeo vt Oriente toto non alionomine, quàm Sanctus & Apoſtolus appellaretur ab omnibus, etiam ab Ethnicis, qui ad eius ſepulchrum accedere venerabundi, eiuſque opem implorare conſueuerunt.* Quid expalluiſti Pſeudo-Conſtantine?

XIV. *Et Cardinalis à Monte,* Nondum in loquaciſſimâ tuâ iſtâ audaciâ, qua magno Dei ſeruo detrahere auſus es, tela omnia veritatis inhæſerunt, validioribus adhuc eſt configenda. Prodi ergo Franciſce Maria Epiſcope Portuenſi S. R. E. Cardinalis à Monte, audiaturque vox tua grauitatis, ac maieſtatis pleniſſima in eâ Relatione, quam in Conſiſtorio ſecreto ad XXIV. Ianuarij anni CIↃ IↃCXXII. coram eodem Gregorio XV. feciſti. Ibi Conſtantine, hiſce ipſiſſimis verbis locutum Cardinalem ampliſſimum, edita teſtántur monumenta. *In quam rem* (Indicam ſcilicet expeditionem) *Ignatius, cui ſummus Pontifex negocium commiſerat, Franciſcum nominauit: qui Apoſtolici Nuncij dignitate, ac poteſtate à Pontifice inſtructus, India Apoſtolus iuxta ſororis vaticinium à Deo electus, ſine morâ proficiſcitur: eaque ſanctitatis, & Apoſtolici ardoris ſigna exhibuit in Luſitania, vt communi omnium voce Apoſtolus dictus ſit, quod nomen non ſolùm ipſe dum vixit, & poſt obitum obtinuit; verùm in illius memoriam, ac venerationem, quà Luſitanum Imperium, per Europam, Africam, Aſiam, & nouum patet orbem, omnes de Societate Ieſu Apoſtoli nominantur, tantùm enim fidelis Dei ſeruus Apoſtolicis factis, & ſanctitate promeruit, vt non ſolùm ſibi glorioſum nomen, ſed ſuis etiam comparauerit.* Satiſne adhuc Apoſtolus Pſeudo-Conſtantine, tibi Xauerius? obmutuiſti? quid rei eſt? video; putabas te, cum nobis conuiciabaris, hominibus priuatis, & obnoxijs iniuriam modò facere; nunc verò cum in ampliſſimos Præſules incurriſſe

te

te vides, hæres, ac si anguem improuisus pressisses humi.

Sed nondum toto veritatis fulgore pugnauimus, iam se pro Francisci Xauerij Apostolatu suprema illa inter mortales, ac Deo proxima Romani Pontificis Majestas objicit, cuius vel audito nomine coniuratas mendaciorum phalãges difflari sit necesse, custos enim est æternæ veritatis. Audi ergo Vrbani VIII. geminum testimonium, imo oraculum. Alterum in Bulla canonizationis Ignatij, vbi de Socijs, quos vir sanctus adlegit loquens, sic ait, *Inter quos fuit Frãciscus Xauer. vir sanctus, & Indiar. Apostolus.* Satin' disertè? Sed in alterâ ipsius Xauerij Canonizationis Bullâ Mariæ Magdalenæ Francisci sororis vaticinium sic referr. *Quibus cum alacriter operam daret* (litteris nimirum) *post haud multum temporis de eo domum reuocando Pater cogitare cœperat; quòd tunc in humanis agens Maria Magdalena eius soror, quæ Monasterium Monialium oppidi nuncupati Gandiæ, Ordinis S. Claræ discalceatarum nuncupatarum, Valentinensis Diœcesis, non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, præsensisset, fratris vocationem diuinitus edocta per litteras cum patre vehementiùs egerat, vt Francisci studia omni ope, etiam cum rei domesticæ detrimento foueret; eum enim incognitarum gentium Apostolum diuinâ prouidentiâ præordinatum esse præuidebat.* Audin' Pseudo-Constantine? sed luculentiùs, exertiúsque de illius obitu agens audiendus Pontifex est, sic habet: *Demum vir Dei consumato feliciter peregrinationis suæ cursu, famâ sanctitatis clarus, & bonis operibus plenus, cùm ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiritualiter elargitus esset, vt multarum gentium pater efficeretur, & filios, quos Christo Iesu genuerat, super stellas cæli & super arenam, quæ est in littore maris multiplicatos videret, & ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad cælestia Regna præmisisset ORIENTALIVM INDIARVM APOSTOLVS ab vniuersis Indiæ Regnis, totoque orbe Christiano appellatus, dum aditum Euangelio in vastissimo Sinarum imperio quærebat assiduis laboribus, quos vltra humanas vires pro gloriâ Dei tolerauerat, confractus, in insulâ prope Sinas die 11. Decembris anni Domi-*

XV. *Et gemino Vrbani VIII. oraculo.*

ni C I Ↄ I Ↄ L I I. ad cælestem gloriam perpetuò cum Deo regnaturus euolauerat. Audis ne Pſeudo-Conſtantine? Hæccine de Bouillio, an de Xauerio? ab Ieſuitis, qui palpum obtrudunt, & Indica confingunt, an ab ipſo veritatis oraculo narrantur? in aliquáne laudatione, in qua oratores aliquando liberiùs exultent, an in grauiſſimo omnium decreto vindicationis leguntur? Quid ais, mi homo? quæres ne adhuc, cur tantoperè pertendamus, Xauerium Orientis Apoſtolum appellare? vis pauciſſimis reſpondeam? quia fuit. Quia ipſe primus Parauis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Malacenſibus, & Iaponenſibus Euangelium Chriſti annunciauit, quod ait Pontifex in Diplomate iam laudato canonizationis. Quid ex his ad Bouillium pertinet? Quia eo Chriſtum annuntiante multi illarum nationum Reges, & magni Principes, ingenti cum fidei noſtræ emolumento ſuaui Chriſti iugo colla ſubdiderunt, quod ibidem legitur. Quam huius laudis partem ſibi Bouillius decerpat? Et quæres adhuc, cur eum Apoſtolum Indiarum appellare pertendamus? Quid? non ſatis pro nobis loquuntur publicæ Eccleſiaſticæ tabulæ, in quibus ſic legitur, ad IV. Non. Decembris: *Goa ſancti Franciſci Xauerij Societatis IESV Indiarum Apoſtoli?* Si quis vltra quærat, cum ego temerè facere pronuntio, adeóque ne cum homine pertinaci fruſtra diſputem, pluribus abſtineo.

XVI. *Et Martyrologij Romani Tabulis.*



MALIGNITAS in Ioannem Euſebium Nierebergenſem.

I. *Petulantia Pſ.C. in Ioannem Euſebium Nierembergenſem.*



IN Nierebergenſem quantâ petulantiâ incurrat Pſeudo-Conſtantinus ſatis te mirari non poſſe arbitror, Conſtantine. Quid enim? non hominem leuitatis, audaciæ, imprudentiæ, ac temeritatis ſemel, iterum, ſæpius amariſſimè, ac petulantiſſimè accuſat? non vt violatæ religionis ~~Deum~~ ad ſacrum Quæſitorum de fide tribunal

nal funestâ voce citat? Cur non more, modóque agit? Cur non accusatorem delato illius nomine profitetur? cur præiudicio suo apud mortales omnes damnet, quem legitimè accusare, talionis scilicet metu, non audet? Hæc vt tu illi luculentiùs, grauiúsque obijcias; quis, quantúsque sit Nierembergensis; tum quàm nullâ causâ, si effrenatam accusatoris malignitatem seponas, in illum licentissimè debaccetur, mihi docendus es, Constantine. *Præfatione totâ.*

II. *Virum moribus, ac multiplici eruditione, editisque ingenÿ monumentis nobilem.*

Quamquam quid ego tibi de Nierembergensi dicam, qui quum nomen tuum inter eruditos profitearis, illius ignorare non potes; tam multa enim ille Latinè, atque Hispanicè scripsit, tantâ siue pietate, siue eruditione, vt tibi homini erudito notissimum esse sit necesse. Hic ille est qui de Arte voluntatis libros IV. De Adoratione in spiritu & veritate libros IV. Sapientiæ Mysticæ libros VIII. Historiæ Naturæ maximè peregrinæ lib. XVI. De Origine S. Scripturæ lib. V. Demonstrationes Sac. Scripturæ, eiusque stromata pluribus libris & Panegyricam narrationem de tribus Martyribus & hæc quidem Latinè scripsit, Hispanicè verò tam multa, vt mirum sit hominem vnum labori sufficere. Enumerantur à Philippo Alegambio, qui Sociorum labores omnes suâ in Bibliothecâ æternitati transmisit, Opera & dies, De affectu erga Mariam Virginem, Vita diuina, De Amore erga IESVM, Alimentum diuini amoris, De cupiditate sancta & spirituali, De deuotione erga animas Purgatorij, Compendium vitæ Xauerij, Vita Canisij. De curiosa Philosophia lib. VI. Prolusio ad Historiam Naturalem, De Antipathia, & Sympathia, Æstimationis diuinæ Gratiæ lib. III. De Diuina Prouidentia, Praxis Catechismi, Discrimen inter æternum & temporale, Doctrinæ Asceticæ tomi I. alia. Hunc ne igitur virum doctrina, atque sapientia clarissimum obscurus iste Lucifuga Pseudo-Constantinus tanta impunè traduxerit impudentia? Non patiar, vt suo diutiùs scelere sibi placeat. Adde Nierembergensem ea vitæ, morumque innocentia esse, vt interioris Philosophiæ magistrum, ac spiritualem Patrem nostrorum hominum Mantuæ Carpentanorum agat, & in aula Hispanica virtutis, atque sapientiæ fama illustrissima viuat, magnis illis Principibus, magnis Sapientiæ luminibus, ipsique Regi gratus, acceptúsque. Hunc igitur virum, quem pluribus à me laudari eius modestia non ferat, an reuerentiùs haberi à Pseudo-Constantino æquum fuerit, videbis Con-

ſtantine. Sed quid ego ab hoc homine officij ſperem, qui impotentiâ calumniandi, atque libidine agitur maledicendi? Quid enim demum cauſæ fuit, quòd illi tàm acerbè obloqueretur? quod leuem appellaret? quod malæ fidei accuſaret? quod temerarium, quæ grauiſſima, & atrociſſima eſt contumelia, dicere non dubitaret?

III. *Omittitur Florentinæ tragœdiæ accuſatio, &* Age id nunc, Conſtantine, agamus, ac diſſimulatâ Florentinæ tragœdiæ calumnia, quam abundè in loco diluimus, reliqua accuſationis capita videamus.

IV. *Secunda aſſertur, quòd Ignatium ſecundum dixerit Saluatorem. pag. 3. & 4.* Principiò igitur non modò imprudentiæ, atque temeritatis, quod oppidò grauiſſimum eſt, crimen Nierembergio impingit, verùm atroci ore impietatis in Saluatorem Dominum noſtrum IESVM Chriſtum accuſat, quaſi maieſtatem illius audaciſſimo dicto violauerit; quod ſi quæris cuiuſmodi ſit, verbo dicam. Ignatium alterum mundi Saluatorem dixit. Quid audio, Conſtantine? Hoccine auſus eſt Nierembergenſis? Et Quæſitorum fidei ceſſat laudata illa toto orbe, atque impijs formidata ſeueritas? quin vltro illorum ſibi partes vindicat Pſeudo-Conſtantinus, imo ipſius Carnificis munus inuadit? Pſeudo-Conſtantine, Nierembergenſi oculos obnubito, ad piram trahito, ad palum deligato, faces ſubdito, præfixo, ſi lubet, titulo. *Impiè locutus Ieſuita.* Sed, heus tu, ſuſtine pauliſper;

V. *Et reycitur exemplo Hieronymi, qui illud Sanctis tribuit.* nam properus accurrit Hieronymus, hominémque tibi, in ſuâ nimirum ſchola eruditum eripit, téque lege talionis interrogat; quidni enim id faciat, qui extremo in Abdiam Commentatio, vaticinium illud exponens. *Et aſcendent Saluatores in montem Sion*, exertiſſimè ſcripſerit. *Ipſe Saluator Apoſtolos ſuos mundi voluit eſſe Saluatores?* ſuíque dicti rationem eam attulerit, ex Domini admirabili indulgentiâ petitam, atque ineluctabilem; *quia quodcumque de eo dicitur, ſeruis tribuit, vt dicatur.* I nunc Pſeudo-Conſtantine, & Hieronymo apud Quæſitores, quos in Nierembergenſem appellas, diem dicito. Non arbitror poſt Hieronymi authoritatem, qua Pſeudo Conſtantini calumnia planiſſimè profligata eſt, quidquam illi audaciæ ſupereſſe; verùm ne victus videatur, audebit aliquid, quod ne faciat, obruendus etiam numero illorum eſt, qui non dicam viros iam victâ morte laudabiles, atque Eccleſiæ indicio vindicatos, ſed adhuc in paleſtrâ luctantes, Ordinis ampliſſimi, in quem relati ſunt, reuerentiâ

tiâ huiusmodi Redemptorum, Mediatorum, ac Saluatorum nobilissimis appellationibus sibi esse honestandos putarunt. VI. *Et Mediatorius Moysi à Paulo,* Mitto de Moyse dicere quem Paulus Mediatorem vocauit ad Galatas scribens de lege, *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, eadem planè voce, quâ Christum Dominum in eâ, quam ad Hæbreos dedit, epistolâ designauit *Noui testamenti Mediatorem.* Quid? Non Gregorius Theologus Episcopatum esse dixit *Officium Mediatoris, atque munus Deum inter, & homines*? (Orat. 1.) Non Episcopi Ægyptij datis ad Leonem Imperatorem epistolis Proterium Alexandrinum Patriarcham *Mediatorem inter Deum & homines* dicunt? (Niceph. lib. 13. cap. 17.) VII. *Et Sacerdotibus à Gregorio Nazianzeno, alijsque;* Non Macharius Sacerdotes exertissimè appellat *Homines redemptores?* (Hom. 28.) Non Dauid Sacerdotibus pollicetur, illos à Deo salutari, siue vt Græci loqui amant, salute induendos *Sacerdotes eius induam salutari*, (Psalm. 131.) quod idem valet, ac facturum se illos Saluatores? VIII. *Et Leuitæ redemptores dicuntur,* Non de Leuitis ait Ambrosius, *De illis scriptum, est quod sint redemptiones eorum?* cuius dicti geminam ille affert caussam, vitæ sanctimoniam, atque Ordinis amplitudinem. Non de totâ harum honestatum ratione doctissimè ac disertissimè, suo scilicet more disserit Cyrillus Alexandrinus Abacuc Oracula enucleans, (Lib. 2. de Abe. c 3.) IX. *Et viri Apostolici à Cyrillo Alexandrino,* qui tandem Hieronymo concinens, ait Apostolicos viros ijsdem Christi nominibus quippe *Conformes illi factos* honestari? Audésne, adhuc impurum calumnia os cælo attollere, Pseudo-Constantine? & te posthac audiant eruditi? sed si vilis tibi Hieronymi ac reliquorum auctoritas est; age, illis aduocatis non vtor. An tu etiam Christum ipsum accusabis, quod Apostolos suos *Lumen* aliquando dixerit? quod *Pastorum* appellationem illis voluerit esse communem? X. *Et ab ipso Christo Apostoli Lumen appellantur.* quid ais accusator fratrum? Non hæc nomina ipsissima Christi sunt? Audio, quam te in latebram coniecturus sis: Huiusmodi nominibus ita Christum appellari, vt ab illorum vsurpatione alij non arceantur; XI. *Exponitur locus Oseæ similibus ex Diuinis Oraculis,* Saluatoris verò ita sanctum, atque augustum esse, vt illo ab Osea vatum omnium principe, omnibus seuerè admodum sit interdictum, *Præter ipsum non est Saluator.* Quid huic homini facias Constantine, qui diuinis in litteris planè peregrinus, eas audacissimè polluit?

Si.

Si sanus esset, docere illum posses, eadem figurâ legi, *Tu es Deus, extra quem non est alius*, & nihilominus homines Deos à Dauide appellari, & Moysem Deum Pharaonis à Deo ipso dici, quod qui nescit, quid scit? An non Deus adeo bonus, vt Christus olim dixerit: *Nemo bonus, nisi solus Deus*? Et tamen quis homines illos impietatis reos peragat, qui Philippum Nerium adhuc adolescentem, ob egregiam illam, explicatámque ad omne sanctimoniæ decus indolem Pippum bonum (vereor ne hinc Pipponem aliquem, vt ex Ignatio Enneconem, extundat artifex iste nominum faberrimus) appellabant? Sed

XII. illud ego ab hoc nouo diuinorum oraculorum mystâ scire velim, quonam loco Paulum habeat? an illum accusari oportere credat, quod se aliquando omnium dixerit Saluatorem? hoccine, inquiet, Paulus? quidni? & ne de vi vocis quisquam dubitet eâ omissâ, eius sibi definitionem luculentissimè vsurpat; Quem enim alium Saluatorem dicimus, quàm qui saluum facit? At hoc se egisse testatur Paulus. Audiatur: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem.* Non sic loquitur in illarum, quas ad Corinthios dedit epistolarum prima? Non hoc est esse Saluatorem? Verùm vt disputandi compendium faciamus, Constantine, hominem istum, qui hæreticâ veluti contactus insaniâ, magnificas Dei seruis appellationes inuidet, eorumque amplitudinem in ipsissimam Domini gloriam redundare nondum intelligit, ad Robertum Bellarminum amandemus, qui libro de Indulgentijs I. cap. X. quàm piè, sanctéque Dei amici, Redemptores dici possint, explicatè docebit.

Paulus se Saluatorem appellat.

XIII. Adhúcne docendus tibi est, Constantine, homo iste imperitissimus in honorificis istis appellationibus, quibus Dei amicos honestamus, similitudinem imitationémque spectari tantummodo, non exactam illam rerum proprietatem ad philosophorúm amussim? Vetus insanientium, atque furentium hæreticorum querela est, quòd à Catholicis magna Deipara non semel mediatrix appelletur, quasi verò nesciant hi vnum esse Dei, atque hominum Mediatorem Dominum Iesum Christum. Quodnam igitur tantum scelus commisit Nierembergensis, si Ignatium hominem ad salutem gentium omnium natum, huius in amplissimæ laudis partem aliquam vocauit? quæro enim Saluato

Ratio harum appellatio-num exponitur.

uato

uatorémne dixerit, an potius Hispanicâ linguâ *Otro*, aut *segundo Saluador?* Si Hispanicè quidquam intelligeret Pseudo-Constantinus, nihil hinc calumniarum exculperet. Sed age Franciscum Assisinatem, quoties alterum Christum dici audimus? Quis tamen irascitur? quis vociferatur? quis religiosissimis, atque eloquētissimis laudatoribus impietatis dicam scribit! Quod de Ignatio suo dixit Nierembergensis, potuit de Benedicto, de Dominico, de Francisco, de plerisque alijs dicere, quod si fecisset, quiesceret Pseudo-Constantinus, qui ne aliquâ honestate augeatur Ignatius, quasi verò de summâ rei Christianæ ageretur, vnius Hispanicæ formulæ quam satis non intelligit, caussâ ne quid Respublica detrimenti capiat, prouidendum contentiosissimè vociferatur.

XIV. *Secundum accusationis caput, quod Canisium, aliosque Apostolos vocets.*

Verùm grauius aliud accusationis caput erexit hydra hæc malignitatis Pseudo-Constantinianæ. Audi, & ride, Constantine, nisi ramen irasci mauis, quamuis & ridendo irasci possimus. Quid tam ridiculum, quàm Nierembergensi vitio dare, eique violatæ Religionis diem dicere, quod aliquot è Socijs Canisium scilicet, aliósque Apostolos appellet, quum ipse Boillium suum Indiarum Occidentalium Apostolum exertissimè, atque ore ingenti non semel dicat, cúmque Xauerio ipsi præhabendum esse contendat? Cùm Indiæ Apostolatum eâdem libertate scribendi Benedictinis Monachis ab Emmanuele maximo Lusitanorum Rege in illam immissis attribuat? Cur rogo te, Constantine, quod Pseudo-Constantino licet, Nierembergensi non liceat? An quia ille de Monachis Benedictinis, hic de hominibus è Societate scribit? non arbitror te, quamuis Benedictini vindicis gloriosissimum cognomentum tibi sumpseris, tàm iniquè nobiscum acturum, qui vt à Benedictina amplitudine, longissimè nos abesse profitemur, ita nihil illis decedere, si aliquid nobis accedat, non ignoramus.

XV. *Reijcitur primò quod idem faciat in Benedictinis accusator ipse P.-C. Part. 1. c. 8. pag. 108.*

XVI. *Imo verus Constantinus in Epistolá suá ad Ordinem totum.*

Sed quid ego de oscitatione illius hominis disputem, qui tuo nomine in Nierembergensem inuehatur, eumque ob Apostoli nomine viros oppidò magnos ex Societate appellatos accuset, neque viderit tuo se aduersarium exemplo tueri, & quæcumque in illum dicuntur, in te, cuius ille personam suscepit, partesque agit, regeri posse. Si crimen aliquod ea continet Apostoli appellatio, idem tibi diluendum est, Constantine; si lege aliquâ id vetitum est,

 cadem

eâdem teneris. Neque enim te oblitum puto illius epistolæ tuæ, quam de nouo Collegio Aniciano (quod tamen adhuc extra parietinas nescio quas caput non extulit) à te fundato ad Ordinem totum datam, typis Romanis euulgasti. Quid? non in eâ Baylt siue Bayllium Apostolum dicis? non Veri addito epitheto dicis, nequis te laudationis licentiâ scribere suspicetur? Non ais, de illo loquens. *Hic verus noui orbis Apostolus*, cum tamen vnâ in Hispaniolam Christi nomen intulerit? Non de Oriente agens ita loqueris: *Nihil nunc de Benedictinis Orientalis Indiæ Apostolis dicam?* hæc à te scripta cum sint, volitetque per manus hominum illa tua epistola, in quâ sic loqui non dubitasti, quanta Pseudo-Constantini huius vel insania sit, vel oscitatio tuo assumpto nomine Nierembergensem acerbiùs accusare, quod viros vel defensâ, vel propagatâ fide nobilissimos, hac etiam Apostolici nominis gloriâ sibi honestandos putauerit, non alium quàm te, iudicem po-

XVII. stulo, Constantine. Quid? vnius tantùm familiæ vt viros hoc nomine dignos Ecclesiæ alat atque in lucem producat, laus erit? angustusne adeo est orbis terrarum, vt plures Apostolos non capiat? adeone paucæ superstitionibus adhuc obrutæ supersunt gentes, quibus Euangelij lucẽ vna tantum familia possit inuehere? Innumeræ hoc ipso tempore a Francisci filijs, hominibusque nostris sub ipso Æquatore moribus diuersæ, ac linguis plusquam centum dissonæ, fœdisque superstitionibus imbutæ ad Amazonũ flumen detectę sunt nationes. Age igitur illis Euangelij signa inferant, non vnus tantùm Apostolici nominis palmam deportabit.

Et pluribus adhuc tribui poterit si digna censentur.

XVIII. Sed nondum accusationis capita omnia demessa sunt. Atrocius aliquid & Quæsitorum de fide iudicio sistendum commisit Nierembergensis. Quidnam tandem hoc est? audio pagina X hominem accusat, quod Canisium, Fabrum, Ouiedum, Anchietam viros, ipsius etiam Pseudo-Constantini confessione, *optimos, & plurâ* (nota elegantiam scribentis) *conspicuos passim sanctos vocat*. Proh scelus? quæ vox aures pepulit? homines non vindicatos sanctorum nomine appellauit Nierembergensis? Verùm si accusator imperitissimus Hispanicè sciret, ab hac opinor accusatione abstinuisset; quid enim Hispanicæ linguæ tàm familiare, quàm viros virtutibus claros *Sanctos Varones* appel

Tertium accusationis caput, quòd aliquos non vindicatos Sanctos appellatione honestauerit.

XIX. *Ex linguæ Hispanicæ ignoratione proficiscitur.*

appellare. Fac Latinè scripsisse; non ideo peccasse dicendus est; quam enim legem violauit? licuit, semperque licebit appellatiuè, vt loquuntur, ita loqui, dummodo nullo ad canonizationem præiudicio fiat. Non erat, quod voti, quo Romano Pontifici obstringimur, Nierembergensi obijceret religionem, & quam sanctæ Inquisitionis Senatui debemus reuerentiam, inculcaret, ijsque Nierembergensem obludere calumniaretur. Quid Pontifici, quid eius oraculis, decretis, nutibus deferat Societas, sanguine testati sæpius sumus, & porrò testabimur bono cum Deo; nec aliquid est, quod in nobis magis oderint Ecclesiæ perduelles, vt ea propter sanguinem nostrum sitiant, ac sæpius hauriant, quod nobis omnibus votum est. XX. *Societatis aduersus Ecclesiam obseruantia, & legum reuerentia.*

At longè atrocius est, Ignatium inter Doctores adnumerasse, ijsque aliquâ ex parte antetulisse; quod instinctu nimirum diuinitatis, & Deiparâ docente Exercitia, & Constitutiones composuerit, quod à Ioanne Eusebio factum acerbissimè calumniatur. An ego Pseudo Constantinum nunquam legisse credam notum illud, scitúmque oraculum *Non est inuentus similis illi?* an potius homini odio, inuidiáque furenti excidisse animo, dum ille conscriberet, vix apud me statuo. Nam quamuis imperitiam suam vbique prodat, eâ tamen est calumniandi libidine, vt sciuisse quidem, sed vt malediceret, dissimulasse mihi persuadeam, neque enim fieri potest, vt si illius oraculi auctoritatem suis déque non haberet, nodum hîc quæreret in scirpo, ac sine vllâ causâ paratragœdiaret Carnifex Societatis. XXI. *Quartum caput, quòd Ignatium doctorem dixerit,* XXII. *Cuius vitii ratio redditur.*

Quod verò ex aliorum sermonibus refert Nierembergensis, si Ignatius hucusque vixisset non superfuturum amplius in Ecclesiâ, quod laborem, diligentiam videlicet, atque industriam Pastorum, & Prædicatorum desideraret. *Tota gentilitas fuisset conuersa, hæresis extirpata, omnésque fideles quasi reformati, quasi religiosi essent*, leuius est, quàm vt tam operosè debeat à Pseudo-Constantino ventilari. Quid? hyperbolis adeo nobis interdicitur, vt qui illis aliquando vtatur, statim violatæ Religionis sit accusandus? Quî ergo dixit Ioannes, tàm multa à Christo patrata fuisse, *Quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros?* An etiam Ioanni vanitatis, atque iactantiæ diem dicturus est Pseu- XXIII. *Quintum quod salutis animarum nauatam ab Ignatio operam amplificauerit,* XXIV. *Diluitur ex Hyperbolarum legibus.*

do-Constantinus? an ad Quæsitores fidei eius nomen delaturus?

XXV. *Sextum, quòd Ignatium infantem locutum dixerit,* At Ignatium adhuc infantem lustrico die, quo nomine appellandus esset quum dubitaretur, proloquutum fuisse, & Ignatij nomen adoptasse scribit. Verum est, nec tamen suo suffragio accedit vir modestissimus, sed Melchioris de la Cerda, aliorúmque, à quibus accepit, fidem appellat.

XXVI. *Reyciturplurimis exemplis,* At non refellit. Verum hoc iterum est. At refellere debuit narrationem fabulosam: Hoc enimuerò falsum est. An adeo insolens hoc mirum est, vt diuinæ potentiæ oneri veluti sit? Legimus, sine reprehensione scribentium, Florentinos infantes adhuc de pupillâ pendentes matres hortatos fuisse, vt Ordinis Seruorum conditoribus stipem darent; eos enim Mariæ Seruos esse, quæ appellatio, cum honestissima visa esset, ac diuinitus cælo veluti lapsa, Ordini adhæsit: legimus Sigebertum Dagoberti Regis Francorum Filium, quum Amando sanctissimo Episcopo inter Catechismi cæremonias nemo solemni verbo *Amen* responderet, ora soluisse, ac respondentium vices occupasse: Legimus, quod longè mirabilius est, Iacobum Picentem, Franciscani nominis grande ornamentum, vtero matris clausum non gestisse quidem, quod ipsum in Ioanne admiramur, sed fuisse prolocutum; hæc inquam, & alia legimus, nec historicis irascimur, cur Nierembergensi faciat Pseudo-Constantinus?

Sigeb. in Chronicon, anno 633.

In vita.

XXVII. *Deo sic vindicatorem destruete,* Sed velit, nolit idem mirorum author, qui olim, nunc etiam Deus est, qui linguas infantium facit esse disertas, quique ex *ore lactantium perficit laudem, vt destruat inimicum & vltorem,* siue *Vindicatorem*, quo nomine Diabolum designari à Prophetâ opinatur Pacianus. Non igitur, quasi rem incredibilem Cerda narrasset, refutare Nierembergensi opus fuit. Cur igitur faceret? an quia locupletes satis auctores non habuit? Demus hoc, quamuis non sine iniuriâ Melchioris Cerdæ viri genere, religione, ac litteris, editísque ingenij monumentis nobilis; demus, inquam hoc, quid amplius à Nierembergensi quæras, quam vt sustineat assensum? At miraculum sacris iudicibus nondum adprobatum scribere non debuit. Qua id lege de Sanctis vindicatis facere prohibemur.

Psalm. 8. 3. Sermon. de Baptis.

XXVIII. *Refellere ab alijs dictum opus habuit Nierembergensis,*

Vide, Constantine, quàm ineptè tuam hîc personam

susti-

sustineat, qui odio in nos amens eodem, quo nos petit gladio, te iugulat. Meministi, opinor, in præclara illa Gelasij II. vita, in qua Caietanum stemma (quamuis hîc Pisis non desint viri suarum antiquitatum scientissimi, quibus stemma illud tuum nulla ex parte probetur, quos inter Paulus Troncius, qui Patriam historiam incredibili quadam antiquitatis cognitione, assiduísque vigilijs, cum immortali sui nominis laude propè ad vmbellicum perduxit) bonam tibi libri partem occupat, scribere te de Octauio fratre, qui apud nos vixit, eodem planè modo, quo de Ignatio scribit Nierembergensis. Recognosce mecum, quæ senis fortè memoriam fugiunt. Verba tua hîc appendam ex pagina XXXIV. *Nec eodem hoc loco præterire debeo, duos illos ex venerabili S. I. Religiosos Dei seruos, omni heroicarum virtutum genere conspicuos, Octauium scilicet, trium superiorum iam modò dictorum germanum fratrem, ac Franciscum eorundem patruelem. Etenim Octauius tum erga suos in Societate; tum erga exteros in sæculo summa inprimis humanitate, summáque prudentia vsus est: cuius vitæ religiosæ statum Deus Ter Optimus Maximus laudabilem eidem demonstrasse dicitur; cum ante illius ad eandem ingressum, oranti coram Crucifixi imagine, eam et sibi visa est capite annuisse. Anteactam quoque ipsius vitæ sanctitatem Altissimus Dominus eidem, atque alijs palam etiam ostendisse fertur. Ad altare namque paulo ante ipsius ab hoc sæculo egressum, sacrificium laudis offerenti, atque orationi instanti, vniuersa mox Siciliæ Insula, Sanctis Martyribus, Confessoribus, ac Virginibus in eadem Insulâ celebribus, immenso splendore irrigata, ante illius oculos (ex circumstantibus etiam aliquot prospicientibus) Diuino fauore oblata. Et quidem meritò id fauoris creditur consecutus. Nam cum istorum Siciliæ Sanctorum res gestas in magna duo volumina indefesso labore collegisset, scholijsque eruditissimis illustrasset, dignus est visus, quem benignissimus Deus famulum suum adhuc viuentem sicut etiam in eius vitæ transitu, Diuina eorundem Sanctorum visione voluerit honorare. Obijt Panormi, die 8. mensis Martij anno Christi 1620.*

XXIX. *Verus Constantinus mira de Octauio fratre narrat in Gelasio II.*

XXX. Tunc igitur, qui hæc de Octauio fratre scripsisti, qui miracula de homine egregio quidem (dicerem sancto, nisi Pseudo-Constantino tumentem bilem irritare vererer) sed nondum in Sanctorum numerum relato vulgasti, Nierenbergensem, quod de Ignatio mirum ex aliorum narratione ita suam retulerit in historiam, vt penes auctores, quos laudat fides esset, improuide reprehenderes? nimis hoc à tua abest prudentiâ, quæ in sene iam capulari turpissimè desideraretur. Sed ita dum tuo nomine scribit Pseudo-Constantinus delirat, vt deliri senis partes agere velle videatur, quod prudentiæ grauitatique tuæ tot iam lustris in Vrbe spectatæ, infamiæ plagam imponit non ferendam. Accedit præclara illa ratio de Ignatij, atque Enneconis nomine, qua nihil excogitari potuit inscitius, vt à nobis dum de hominis istius ineptijs ageremus, disputatum est.

XXXI. *Septimum caput, quòd Ignatij dictum retulerit,* Pag. 4. Superest, vt quæ de Ignatij dicto quod Nierembergensis retulit pag. 28. accusat videamus. Ignatium scilicet dixisse aliquando, quod dona, quæ à Deo acceperat, quæque recipere sperabat non commutaret cum sanctorum vllo, si illi maiora dona à Deo non recepissent, quàm quæ suæ illos historiæ narrant accepisse, quod ab Ignatio dictum asserit Nierembergensis; vt suis maiorem sanctorum venerationem ingereret.

XXXII. *Cuius sensus legitimus asseritur,* Quid amabo te, Constantine, Pseudo-Constantinum hic malè habet? Putasne, quæ in adytis animarum sanctarum peragit Deus vlla satis posse scriptione explicari? Ignoratne homo iste, numquam se ita totam prodere illam pulchritudinem, vt semper dicere non debeamus, *Præter id, quod intrinsecus latet*? Quid igitur mirum, si Ignatius interioris sanctimoniæ, quam nulla satis consequi potest oratio, intelligentissimus, illius particulas, quas à Deo acceperat, & se accepturum sperabat, ei quam oratione, scriptisque libris prosequimur, præhabendam censerit. Vidésne illum nemini Sanctorum se componere? Vidésne donorum genera non homines comparari? non ea, quæ de Sanctis scribuntur, sibi attribuere, sed quos instituebat ad sublimiorum contemplationem excitare? Finge tibi animo vnum aliquem hominem, qui gemmam primæ notæ possideat, cuius splendor nec oratione possit explicari, nec vllis coloribus expingi, de aliorum, qui aureorum nummorum cumulos omnibus conspicuos habeant, diuitijs ita loqui vos diuitum opulentiam

ex

ex argenti, auríque metallis nolite æstimare ; alia illi adhuc longè pretiosiora, & hominibus ignorata possident. Ego certè, si diuites isti nihil præter aurum habent, quæ mihi habere sorte datum est, cum illorum auro non commutauerim: quid in hoc homine reprehendat Pseudo-Constantinus? An non exceptione illâ suâ manifestissimè docet, aliquid in illorum thesauris latere, cuius dignitatem, ac pretium homines exterioribus, & quæ fando explicari possunt, assueti minùs percipiant, atque animo informent?

Viros porro sanctos, & collata sibi diuinitus dona nulla modestiæ iniuriâ cognoscere, atque vbi opus sit, eadem palam profiteri quis tàm rudis theologiæ est, qui nesciat? Disputat de hac totâ controuersiâ Theologus 2. 2. q. 161. att. 3. cuius illa grauissima sunt verba, quibus Pseudo-Constantini malignitas penitus extirpatur. *Humilitas, sicut dictum est, propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur: & ideo quilibet homo, secundum id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subijcere, quantum ad id, quod Dei est in ipso. Non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id, quod est Dei in se ipso, subijciat ei quod apparuit esse Dei in altero. Nam illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundùm illud primæ ad Corinthios 2. Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis; Et ideo absque praiudicio humilitatis possunt dona, quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs APPARENT collata*; maiusculis verbum illud exscribendum mihi litteris fuit, quum calumniæ iugulum petat, & cum Ignatij dicto planissimè conueniat. Aiebat enim Ignatius se quæ à Deo accepisset, cum ijs, quæ in alijs Dei seruis apparebant, non commutaturum, quod his omnibus excellentiora sint, *quæ intrinsecus latent*, vt habetur in Canticis. Quare quum hæc ad modestiæ regulam, quam Angelicus firmauit Aquinas, bellissima dirigantur, malignè facit accusator, qui Nierembergensi de hoc Ignatij dicto negotium facessit, quasi virum sanctum superbiâ contactum producat. Cæterùm qui hac totâ in re fines modestiæ, ac veritatis, quamque non inter se discreti sint magnis qua documentis, qua exemplis eruditi sciunt Christianæ satores, Doctoresque Philosophiæ.

Possem non ineptè de hac re totâ disputare, conglobatísque virorum longè sanctissimorum exemplis, atque sententijs

XXXIII. *Ostenditurque ex S. Thoma cum christianâ modestiâ conuenire.*

XXXIV. *Auctorum in eandem sententiam conspiratio.*

tentijs

tentijs oſtendere, cognitionem donorum, quæ à Deo accepimus, Chriſtianæ modeſtiæ nihil incommodare, ſed cum illa belliſſimè conuenire. Sed inter hos concionales labores otium mihi non eſt ad diſcurrendum, indicabo Pſeudo-Conſtantino fontes, ex quibus affatim te hauſiſſe non dubitem Conſtantine, quid enim vindicem Benedictinū veteris hiſtoriæ, aut interioris lateat ſapientiæ? legat igitur Pſeudo-Conſtantinus Bernardi vitam, lib. III. cap. VI. Tereſiæ geſta à Ribera lib. IV. cap. IV. & quæ ipſamet diſſerit, cap. I. rerùm à ſe geſtarum. Franciſcum Epiſcopum Gebennenſem Introductionis parte III. cap. V. Laurentium Iuſtinianum Faſſiculi diuini amoris, cap. V. Ioannem à Ieſu Maria Carmelitam Diſcalcearum, Tractatu de tribus ſtatibus, dubio primo. Ludouicum Pontanum in vita Baldaſſaris Aluarez ex illius ſententia differentem cap. XLI. eumdem parte prima Ducis ſpiritualis tract. II. cap. VIII. ex ſui animi ſententia diſputantem: ac demum magnum illum diuinúmque Climacum Gradu XXV. & XXIX. Vide Conſtantine, quos fontes, quàm illimes, quàm nulla falſitate ſuſpectos indicauerim.

XXXV. *Quæ illuſtriſſimo Antony magni exemplo firmatur.*

Sed ne arido hinc ore abeamus, interrogare libet Pſeudo-Conſtantinum, an magnum illud Chriſtianæ virtutis miraculum, illud interioris huius noſtræ Philoſophiæ oraculum, dæmonum terrorem, Monachorum Magiſtrum, ac ſolitariæ vitæ celeberrimum Imperatorem Antonium in ſuperborum hominum cenſum relaturus ſit? non arbitror adeo inſanire; quamuis illum mens vbique deficiat eúmque inconſtantiæ, ac leuitatis potius quàm tantæ temeritatis infamiam ſubiturum non dubito; alterutra certè conflagrare illum neceſſe eſt, qui ſcripſerit Ignatium à nobis ſuperbum effingi, quod illum aliquando dixiſse ſcripſimus, ſe accepta diuinitus cum alijs, quæ leguntur Sanctis collata non commutaturū; ſi nihil interius adderetur. Quid enim? quantò de ſe liberius confeſſus eſt magnus Antonius, cùm ſe Ammoni antetulit? Ammon enim diſciplinæ adeo rigidæ horridæ fuit, vt vel ipſum magnum Antonium victus, cultuſque duritiæ, ac morum vinceret ſeueritate. Nam cùm ille non igniraret quantam apud homines admirabilitatem habeat, mirabatur, quî fieri poſſet, vt Antonius clariore nihilhominus fama vteretur, ac ad eum celeberrimi ſalutantium, conſulentium, ac opes poſcentium concurſus fierent, ipſe verò lateret. Itaque mira candidiſſimi

didissimi animi simplicitate rei caussam ab Antonio quæsiuit: cui Antonius: tu quidem durius viuis; ego verò Deum sincerius, atque ardētiùs diligo. Quid ais Sanctorum censor Pseudo-Constantine? Antonio superbiæ crimen impinges? non facies: quid igitur? Euagrium, qui hæc in Vitis Patrum scripsit, accusabis? vide ne quæ tota probauit antiquitas dum conuellere niteris, eiusdem pondere obteraris. At nisi te Ignatiano in dicto accusando insanisse dicas, quod omnes sani fatebuntur, Antonio te insolentissimè arrogantiæ crimen impingere necesse est; quòd se Ammoni prætulerit; nàm ne vni quidem modestum hominem se præferre posse negant, qui modestiæ, ac magnanimitatis ima, legesque non satis disparant.



MALIGNITAS in Iulium Nigronum.



His ita disputatis ad accusatoris malignitatem regrediamur Constantine, ac videamus, quàm diligens sit Pseudo-Constantinus Nigroni accusator. Ignatium igitur à Nigrono & superbum, & minùs patiendi auidum, & plus naturæ, quàm gratiæ tribuentem in scenam produci clamitat, hominique illi ob eam causam crimen impingit longè grauissimum. Sed accusatoris ferreum os euerberemus, obstruamúsque Constantine. Scio equidem aliqua huiusmodi ab Ioanne Baptista Castaldo scripta, sed longè aliâ mente, calamóque, vt nobilissimum, ac religiosissimum virum decuit, longè modestiore, quæ tamen ipsa luculenterà nobis dilutâ sunt in nostris ad eundem Interrogationibus, Sed Pseudo-Constantino acriùs respondeamus. I. *Accusationes in Nigronum*

Quid ais Pseudo-Constantine? Ignatium à Nigrono superbum affingi? Mentiris, & proiectè quidem. At docet noluisse fieri ex magistro discipulum. Cur non addit quorum? quam ob caussam? cur nudum dictum ita in medium affers, vt nescio quid superbum sonet, quæ illi adjacent, & honestissimum reddunt, dolo malo retices? Ita II. *Refelluntur, & primò superbum ab eo Ignatium non induci palàm fit:*

 ratioci

ratiocinabatur, & quidem ſapientiſſimè, Nigronus, Ignatium, qui ad animarum ſalutem à Deo fuerat euocatus, quique ab illo ad eius procurationem Exercitiorum arma accepiſſet, quorum erat magiſterio nobilis, eorum Clericorum, qui ſemiſolitarij tunc Venetijs agitabant, & Eremitæ ſancti Nicolai vulgo dicebantur, ordinem appetere potuiſſe, minùs videri veroſimile; quamquam ſanctimoniæ ſtudia apud eos tunc maximè florerent, quæ nunc etiam in poſteris non deſiderantur; cùm tamen ſolitudinis amor ingens eſſet, neque apud eos, vt ſe res habebant, Exercitiorum armis vti potuiſſet Ignatius; & ab ea, quam à Deo acceperat, viuendi ratione, illi diſcedendum fuiſſet, atque in alienos à ſua vocatione mores immigrandum; Cur igitur ille, qui certæ cuiuſdam vitæ magiſter à Deo erat factus, diuerſiſſimæ apud alios, quamuis ſanctos viros, diſcipulus fieret?

III. *Secundò nec iniuriarum memorem, ſed offenſionis cautum.*

At iniuriarum memorem facit. Et hoc nunquam iure licet? aliud eſt meminiſſe, vt vindices, aut odio habeas; aliud vt cautè omnia circumſpicias; quum naturale ſit, odiſſe quem læſeris, primum illud inimici, atque difficilis; hoc ſecundum cauti, atque prudentis hominis eſt. Egone prudenter illum itineris ducem eligam, quem mihi iratum & ſuboffenſum expertus ſum? quis ita inſanit? At multa grauia, & acerba tolerandi hinc ſe pandebat occaſio, cur igitur illam non inuaderet Ignatius? rem minimè difficilem rogas, quia prudenter non debuit, niſi aliter Deo cordi eſſe intelligeret. Quod licet integrâ Caſtaldianæ narrationi conſtaret fides, vel ipſo teſte Toinæo, factum non fuit. Sed Pſeudo-Conſtantinus iſte, dum nobis maledicat, quomodo id faciat, ſus déque habet.

IV. *Tertiò non plus naturæ, quàm gratiæ tribuentem.*

Eiuſdem notæ eſt quod vltimo loco calumniator obijcit. Quid enim? Ignatius plus naturæ tribuit, quàm gratiæ. Ingens facinus, ſed probandum. At lineatam à ſe Societatem amauit. Non inficior. Verùm addendum fuerat, eam Diuinitatis inſtinctu ab Ignatio conceptam, & à Deo aliò illum vocatum minimè fuiſſe; quod luculentiſſimè in noſtris Interrogationibus palàm fecimus, quorum conſequens eſt, nihil illum diuinis præhabuiſſe. Sed abeamus hinc, & quàm malitiosè, ac liuidè Ribadeneiræ, atque Orlandini clariſſimorum virorum, & quibus ipſum nemo compoſuerit, famam deterat, videamus.

MALI



MALIGNITAS in Petrum Ribadeneiram, & Nicolaum Orlandinum.



MITTO quod vtrique impingit Loyolæam Toparchiam, quam illi ne ſomniarunt quidem, vt Ineptiâ ſecundâ demonſtrauimus, apud vnum enim Bidermannum in vita Ignatii error hic hæſit, ſed condonandus homini Germano, & ſcriptori elegantiſſimo, ſi vim Hiſpanicæ vocis *Señor de la caſa y ſolar de Loyola* breuiùs ſe Toparchiæ nomine reddere poſſe credidit, quàm feciſſet Maffeius, & Orlandinus, qui verba verbis appendentes *Dominum domus Loyolæ* dixerant fuiſſe *Bertrammum.* I. *Vtrique P. C. impingit, quod non dicunt.*

Cur oſcitationis incredibilis Ribadeneiram accuſat, quòd dimiſſionem è Societate illorum, qui ſolemni Sacramento in eius verba nondum adacti ſunt, ex Concilijs illis repetierit, in quibus nullum eius extet veſtigium? Hæc enimuerò non Ribadeneiræ aberratio, ſed accuſatoris oſcitatio eſt. Res vigilanti modò Lectore indiget; non enim ad dimiſſionis morem ex antiquitate reperendum, ſed ad Seminaria, ſiue Collegia iuniorum, quæ nos habemus, comprobanda Conciliorum auctoritatem aduocauit vir ſapientiſſimus Ribadeneira, qui pædagogo, ſed infelici non indiget Pſeudo-Conſtantino. II. *Et Ribadeneiræ quem non intelligit, oſcitationem in Concilijs citandis;*

Quid enim habet demum Ribadeneira, quod obeſæ naris audire debeat? Sciendum igitur eſt illum de Inſtituto Societatis agentem lib. III. cap. XXIII. vbi ad ſcholaſticorum ordinem, qui votis licet adſtricti ſint, nondum tamen Societati ſe ita probarunt, vt in Profeſſorum ordinem referantur, qui ſolemni Sacramento quod Societas ſoluere non poſſit, ſed ita in Societate viuunt, et ſi eidem viſum fuerit, res ſuas ſibi habere iubeantur; vbi inquam de his diſputauit, nouumque religioſis in ordinibus id videri dixit, non adeo tamen id nouum eſſe addit, quin eius III. *Non enim de dimiſſione, ſed de ſeminarijs ſcholaſticorum loquitur,*

vestigia aliqua in antiquis Concilijs diligentibus antiquitatis Ecclesiasticæ inspectoribus obseruata non sint, laudatque in libri orâ Conciliorum locos aliquos, in quibus non quidem dimissionis, sed iuniorum qui in Cleri supplementum, si se Episcopis probauerint Sacramento castitatis adacti in Seminarijs educantur. Sic enim loquitur: *Non ita nouum esse votorum simplicium inuentum vt non multa eius vestigia in seminarijs antiquis Clericorum habeamus, quemadmodum in nonnullis Toletanis Concilijs, alijsque videre est.* Vestigia igitur votorum simplicium haberi non eorundem relaxationis dixit Ribadeneira. Quid Pseudo-Constantinus? Crassam hanc esse ait hallucinationem; nusquam enim videri. Nusquam? omnino.

IV. *Quorum vestigia in Concilijs ab eo laudatis clarè videntur.*

Cuiusmodi ergo votum illud, quo ad XVIII. ætatis annum Clerici Seminariani se obstringebant ex Concilij Toletani II. canone I. Quomodo solemne, quod nec religiosum erat, nec sacris additum ordinibus? simplex igitur. Quid enim aliud? ergo votorum nostrorum ibi vestigium. At non dimissionis, inquit Pseudo-Constantinus: Nam, qui suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos concubitus recurrerint, eos vt sacrilegij reos damnat, & ab Ecclesiâ habet extraneos. Nullum igitur votorum hîc vestrorum vestigium. Nullum? planissimè; nam vos solutos dimittitis, Concilium ad nuptias recurrentes damnat. Vide, Constantine, obtusissimi disputatoris plumbeum acumen. Nos vestigium quærimus, ille rem totam postulat, quasi verò vestigium inter, ac rem nullum sapientes, discrimen constituant, quod ineptissimum est opinari, & qui Latinè sciunt docendi non sunt; non enim vestigium expressa rei similitudo est, sed aliquatenus, quæ in Concilio haberi, negari non potest. Vouebant enim, vt deinde ad Subdiaconatum proueherentur si modò Episcopo se probassent, quod ex Concilij loco Pseudo-Constantinus omisit: vouent nostri vt olim professi fiant. Votum illorum simplex omnino erat, neque enim vt prædixi Religiosum, neque enim solitarium castitatis votum eam capit dignitatem; simplicia nostrorum sunt: qui libidini succubuissent vt alieni ab Ecclesiâ arcebantur, hoc idem fit apud nos, quibus nihil formidatum magis, quàm inquinari. Sed dic sodes, quomodo terrenas nuptias à furtiuis amplexibus distinguit Canon,

si.

si contrahere illi validè non poterant? Vidésne simplex omnino votum fuisse? & Clericorum? & eorum, qui ad solemne, quod sacris connexum est ordinibus, post legitimam probationem, anno ætatis XXV. promouebantur, quum primum Sacramentum XVIII. dixissent? Et hæc omnia ad vestigij vocem tuendam satis non sunt? Quereris quod Ribadeneira, Benedictinis missis, ad Concilia infelici conatu se receperit; sed multò magis querar ego, te in ipsis Concilijs adeo leuiter versari, vt si Beotus, aut Auas esses, pinguiùs disputare non posses; quum tamen Siracusanum te fingas, quibus subtiliores, elegantioréſque animos finxit natura. Eadem reliquorum Conciliorum quæ laudat Ribadeneira, est ratio, Toletani IV. can. XXIII. Aquisgranensis sub Ludouico Pio cap. CXXXV. Cabylonensis can. III. Agunt enim de erudiendis, educandísque adolescentibus, eorumque tenera ætate seuerioris disciplinæ vinculis adstringenda, sacrísque litteris imbuenda, vt ex his olim suppleri possit Clerus, quod Ribadeneiræ satis superque fuit, vt in illis scholasticorum nostrorum, qui simplici sacramento obligati in supplementum, augmentúmque professorum erudiuntur in Collegijs, plusquam expressa vestigia vir grauissimi iudicij animaduerteret, quæ Pseudo-Constantinus, nisi planè sponte cœcutiret, potuit obseruare. Verùm de his incomparabili doctrinæ vbertate disputat vir sapientissimus Magnus Suarius, quem si Pseudo-Constantinus consuluisset, & se ab illo edoctus malignitatis infamiâ, & me in re manifestâ labore superuacaneo liberasset.

V. *Per iniuriam vtramque ingrati animi accusat.*

Illud iam Ribadeneiræ, atque Orlandino commune crimen impingitur ingrati scilicet animi, quasi vterque in historiâ Ignatij quæ in Benedictinorum decus redundare poterant, dolo malo dissimulauerint, quæ grauissima sanè accusatio est, & hominibus liberis, nedum religiosis, indignissima; in qua non suspicionibus, atque calumnijs, sed manifestis probationibus accusatori versandum fuerat, qui malignitatis nollet, atque malitiæ postulari.

VI. *Defenditur Ribadeneira.*

Et de Ribadeneira quidem falsò queritur; quòd quæ supra manifestæ fabulositatis arguimus, historiæ non inseruerit. Fac veriora folio Sybillæ huius hominis somnia esse, nota Ribadeneiræ fuisse probari debuit, vt dissimulasse crederetur. Cur enim leuiora silentio premeret, qui longè illustriora posteritati commendauit? Ignatium in ipsâ vitæ

commutatione Clanonio Monacho Benedictino magistro visus est? Tradit hoc Ribadeneira. In Monte Serrato prima pœnitentiæ rudimenta deposuit? hoc idem habet Ribadeneira. Apud Lutetiam primum cum Socijs in æde Martyrum, supremum ad Diui Pauli suburbano in templo vtroque Benedictinorum asceterio sacramentum dixit? Non tacuit Ribadeneira. In Albanetano Casitanis Montis secessu cum Caroli Cæsaris Legato Hortizio X L. dies diuersatus est? hoc legitur in Ribadeneirâ. At Florentinam illam liberationem, quæ Oblatum illum Benedictinum fuisse docet, cautè dissimulauit. Imo nesciuit; quî enim sciret ignotam maioribus fabulam, cuius nulla in nostro Romano, nulla in Florentino Monachorum tabulario vestigia sint? cuius nemo vnquam nostrorum meminit? Cuius nulla apud nos, nulla inter antiquiores Monachos Florentinos fama sit? At Caffarellus dixit? Caffarellus? quis enim ille est, quem *facile Ribadeneiræ, Maffeio, atque Orlandino opponere te dicis*? homo antiquæ quidem nobilitatis, sed in historiâ planè ignotus, qui nec in Commentarios retulit, nec legitimè interrogatus, nec iuratus dixit, sed in domesticâ, & liberâ confabulatione, cuius nulla in antiquâ præsertim historiâ auctoritas sit. Probandum igitur fuerat, Caffarellum vera narrasse, tum hæc Ribadeneiræ non ignorata fuisse, vt malæ fidei accusaretur; quorum si neutrum fecit, aut facere potuit Pseudo-Constantinus, vt certè non potuit, illum inter impudentissimos accusatores referre, Constantine, quid dubitas?

VII. *Et Orlandinus.* Nec minùs in Orlandinum liuoris effundit, & candidissimè scribentis animum peruersè interpretatur. Leuior quidem calumnia est, quam vt eam operosius diluere operæ pretium sit. In æde Diui Pauli extra Portam Hostiensem solemnia professionis vota fecisse Ignatium, ac Socios scribunt historici nostri omnes; quos inter Orlandinus, qui eo consilio ab Ignatio, & Socijs in ea potissimùm sacrâ æde id factum docet, quòd & loci ac temporis solitudo, & hominibus qui se gentibus etiam deuouerent ad fidem cogendis, Pauli Apostoli opportunum visum fuerit patrocinium. Hic verò Pseudo Constantinus odiosissimè vociferatur, aliam longè caussam fuisse, Benedictini scilicet nominis reuerentiam; nam nec adeo solitarium locum illum esse Paschalibus, affluente populo ad visendum Crucifixi

cifixi Domini signum, ex quo missas olim voces, auditásque à Brigittâ magnâ illâ viduâ Suecâ à maioribus accepimus, celeberrimi concursus fiant: Et Ignatij nomen, Sociorùmque iam tum tãtum in Vrbe fuisse, vt ad illorum solemnem professionem plurimos ex vtroque ordine populi, ac nobilium confluxisse verosimile sit, ac demum illos non ad Pauli, sed ad Virginis aram sacramentum dixisse, cuius illi consequens est, nullâ peculiari erga Apostolum pietate, sed vt *in manibus*, vt loquimur, Benedictini Abbatis profiterentur, eò conuenisse. Verùm quàm leuia hæc sint, quis non videt? poterant inter Ineptias reijci, nisi his Orlandinum malitiosè calumniaretur. Et de Benedictino quidem Abbate iam disputatum est, somniumque illud leuissimum planè difflatum. Et de celebritate concursus docendum fuerat, eam ante hos centum annos fuisse quam nunc videmus, vt aliquid dicere videretur; quamquam nec hodie tanta est celebritas profestâ die, vt solitudini, quam ab Ignatio, Socijsque captatam dicit Orlandinus, quidquam incommodet; non enim in auijs planè, ac solitarijs ædibus profitendum erat, cùm id publicè factum oporteat. Demum ante Virginis aram dictum est Sacramentum, quòd in eâ olim sanctissima seruaretur Eucharistia, quod à Seuerano viro grauissimo, & septem Ecclesiarum antiquitatis diligentissimo disertè obseruatum est, qui rem totam absque ineptijs narrat.

VIII. *Qui ex antiquis, & incorruptis monumentis historiam scripsit.*

Porrò quum Orlandinus à Polanco, cæterísque monumentis, quæ in Tabulario asseruantur, acceperit, nullúmque in illis Benedictinæ obseruantiæ vestigium appareat, malitiosi profectò ingenij est, non vni Orlandino tantùm, qui vir non modò incomparabili latini sermonis, ac planè prisci æui candore scripsit, sed eâ virtutum famâ vixit, vt ei tironum institutio commendaretur; sed priscis illis patribus, Ignatióque ipsi maligni silentij, ac nequissimæ dissimulationis, ingratæque obliuionis crimen impingere, quod tu profectò non faceres, Constantine, tuóque nomine ab homine liuoris, atque inuidentiæ manifesto fieri, res est omnino non ferenda. Omitto quæ passim calumniator carpit, ac vellicat recensere, quod operæ pretium in illis diluendis immorari nullum sit; Imo hæc ipsa silentio dissimulassem, nisi huiusmodi malignis ineptijs tertium primæ partis caput malè confersisset calumniarum faber Pseudo-Constantinus. Sed quæ totam in Societatem crimina inferat, videamus.

MALI



MALIGNITAS in Societatem IESV vniuersam.

I. *Societatem præter morem Ignatianam vocat,*



DVo enim sunt, eáque grauissima, quæ obijcit, sed vtrumque per manifestariam calumniam; vt hominem hunc malignitatis me arguisse non pœniteat. Mitto Societatem sæpissimè vocari *Ignatianam*, quod nobis non ideo molestum est, quòd Ignatio parente non gloriemur, sed quod ipse ita noluerit appellari, & Societatis Iesu appellationem, quam diuinitus accepimus, & Concilium Tridentinum, summíque Pontifices propriam nobis esse voluerunt, amemus, in quo, vt animum suum ille prodat; non ideo tamen efficiet, quin ea ad posteros pertineat appellatio; nam & hæreticorum conatus frustra fuere. Sed crimina quæ in nos conijcit videamus, Constantine.

II. *Et Martyres non vindicatos publicæ venerationi expositos calumniatur;* Queritur Panormi sacrâ in Icone Henricum Garnetum cum suâ illâ admirabili spicâ publicæ populorum venerationi propalam expositum spectari, nullâ sacri iuris reuerentiâ. Quæ cùm grauissima, sed falsa sit accusatio, dissimulari à te non debet, ne inter calumniatores nomen tuum referatur. Pernego enim, id verum esse; Et quamquam olim reliquos inter, qui sanguinem pro Christo dederunt, spectaretur & Garnetus cum spicâ, triumphalia tamen insignia non fuere circumposita: postquam verò Ecclesiæ astringendus vetus mos visus fuit, ac seueriùs agendum, iam nullus ibi est Garnetus: Neque accusari debuit olim factum, cùm nullo iure erat interdictum; sed eorum potiùs laudanda modestia, qui nullis interpretationibus vsi, etiam, quod lege non cauetur, abstinuerunt. Qua enim vnquam lege cautum est, ne quidquam sacris in tabulis pingatur, quod extra venerationem sit? Cur temporum rationem non habet, qua vnâ rerum veritas constare disputantibus potest? quæ tandem esse tanta potest

test calumniandi voluptas, vt mentiendi, dummodo in Societatem inuehatur, nullus sit homini pudor?

III. *Et Indicas historias per inuidiam falsitatis accusat:*

Interrogat hic, quàm tutò de rebus Indicis scribentibus nobis fides haberi possit; quasi verò falsitatis in Florentinâ illa tragœdiâ conuictos haberet, de qua quum superiùs disputatum fuerit, aio nunc ita credi debere, vt optimâ fide vera narrantibus, eâ scilicet fide, cuius nihil reliquum apud eum esse oportet, qui de vicinâ Siciliâ disputans tàm immaniter mentiatur. Eâ fide quâ ipse de Boillio tàm multa admirabilia scripsisse credi vult; eâ, quam viri Euangelicâ prædicatione nobiles merentur; quam tot ad Christum sub vtroque Sole traductæ gentes obsignant, quæ si hostibus nostris dolent, hoc ego voueo, vt semper magis magísque sit, quo acrius contabescant. Nec India, nec America ita vnis nostris hominibus peragrantur, licèt plurimas regiones, vel primi olim Christo aperuerimus, vel nunc in fide contineamus, vt mendacia impunè seri possint, si ea voluptas esset hominibus, qui Euangelij causâ voluntario in exilio apud gentes immanitatis plusquam barbaræ, perpetuis se ærumnis, periculísque deuouerunt. Illud hîc non dissimulauerim, Constantine? Plus modestiæ in his conscribendis, quàm famæ consuli, & multa superesse, quæ scribantur: eos proprerea Sociorum conatus esse, tantúmque Diuini fauoris adesse, vt & ad bonos plurimum gaudij, atque ad inuidos plurimum redundare possit inuidiæ.

IV. *Vt ingratam in Benedictinos Societatem damnat,*

Alterum accusationis caput, quod totum libellum veneno infecit suo, est ingrati animi vitium, quo Societatem nostram erga Benedictinos Monachos agere, dolenter queritur, idque vt palam faceret, ad scribendum se aggressum profitetur. Si Monachus hic esset, Constantine, qui illâ laudatissimâ Casinati disciplinâ profecisset, putá'ne futurum, vt tàm effræni mentiendi libidine abreptus fureret, atque insaniret? Quid enim in Benedicti alumnos peccauit aliquando Societas, vt eapropter ingrati animi turpissimâ, & homine libero indignissimâ labe sit aspergenda?

V. *Idque per improbissimam calumniam.*

At à Benedictinis Monachis eruditus olim in ipso melioris vitæ tyrocinio fuit Ignatius? Verissimum hoc est, & à nobis sæpissimè nostris in Annalibus consignatum; ex quo enim alio didicit siue Iepius, siue Pseudo-Constantinus, quàm à Ribadeneirâ, qui Ignatij gesta primus condidit? quàm ex frequentissimis nostrorum hominum sermoni-

E e bus?

bus? At & in Monte Martyrum prope Lutetiam Parisiorum, suæ iecit Societatis fundamenta, & ad D. Pauli prope Vrbem edito cum Socijs solemni Sacramento, illam demum absoluit. Verissimum hoc item est, & à nobis nunquam dissimulatum. At beneficia plurima accepit; nam & nascentem nobilissimi Abbates Societatem fouerunt, illíque Collegia non plurima quidem, vt Pseudo-Constantino mentiri placuit, sed aliqua in Belgio condiderunt. Verissimum est; nec illos, qui hæc in nos contulerunt, collocatorum benefactorum pœnituit, & porrò ne vnquam pœniteat, strenuam operam dabimus. Agnoscimus beneficentiam & scriptis, & libris prædicamus. At Ignatium Oblatum, Conuersúmque Benedictinum aliquando fuisse, aut dictantibus in Albanetâ tribus Monachis Constitutiones scripsisse, aut Exercitiorum libellum compilatis Cisnerianis scrinijs coagmentasse, pernegatis. Quid enim aliud faciamus, nisi veritatem prodere velimus? At Salisburgensem Academiam nobis præripere conati estis, Monachorumque non esse docere, per inuidentiam, & calumniam asseruistis. Hoc enimuerò splendidum mendacium est, & de triuio sumptum, & qua facilitate mentiendi obijcitur, eadem libertate veritatis reijcitur. Quî enim docere potuimus Monachorum non esse docere, quum illorum exemplis ab antiquitate repetitis nostra tueamur? Queri potuit Pseudo-Constantinus de Bernardo Magno, post Benedictum, Monachorum Magistro, cuius ea est sententia epistola LXXXIX. *Monachi non est docere, sed lugere.* Sed audio quid queraris. Doles nimirùm à Cardinali de Monte, in celeberrimâ illâ Oratione, qua de Ignatij sanctitate ad Cardinales, & Pontificem in Consistorio retulit. *Dum maximorum Sanctorum quorum vestigia pressit Ignatius mentionem, idque meritò faciunt enumeratis Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Cyrillo, Hieronymo, Augustino, Bernardo, Dominico, Francisco, ex electissimis pharetra Domini sagittis, vnum Benedictum silentio inuoluerunt.* Vide Constantine an iniuriâ malignitatis accusem. Quid enim ait? *Inuoluerunt.* Qui? nosne? At relationem illam habuit Ioannes Maria de Monte, non è Socijs aliquis. Sed liberum fuerit accusatori nos illius auctores credere; quæ illi mentiendi caussa fuit, nisi calumniandi impotens libido? Vbinam in illâ magnificâ relatione

latione Sanctorum quorum vestigia pressit Ignatius, mentio? Doce Pseudo-Constantine; numquam facies. An quia Cardinalis eos enumerat, quos vigilans Dei bonitas, & misericordia præteritis seculis contra subnascentes hæresiarchas destinauit Athanasium, Basilium & reliquos supra laudatos, quorum vestigia in instituendâ familiâ presserit Ignatius, enumerare tibi videtur: an potius eximiâ quadam & verissimâ cum laude ipsum illis accensere? si contra aliquem per ea tempora furentem hæresiarcham, Deus Benedictum excitauit, cui ille sese objecerit, iniuriâ à Cardinali omitti non negauerim. Sed si nihil huiusmodi de Benedicto legimus, non est, quod per nostrum latus illius iugulum petas Pseudo-Constantine. Non apud vnum Cardinalem ea diuinæ prouidentiæ laus legitur; plerique collatis inuicem hostibus, & defensoribus Ecclesiæ id factitarunt, neque inter illos, qui contra hæreticos steterunt, Benedictum me legere memini.

VI. *Virulenta P-C. ad Anglicani Collegij Alumnos. Epistolaris peroratio damnatur.*

Cæterùm qua ego hîc oratione satis queri possum de funestâ illâ, ac virulentâ totius operis ad nobilissimos Romani Collegij Anglicani alumnos peroratione? An non in illâ eius se satellitem esse ostendit, qui discordiarum sator rem perdidit humanam? Hoccine importunus sycophanta tuo præfixo nomine facere ausus est? Et non vindicabis, Constantine? tantóque in tui nominis dehonestamento silebis? Quos enim ille appellat? iuuenes scilicet optimos, quorum nobis educatio à summis Pontificibus credita, vt illis nostri odium nominis, quasi hostium infundat. Sed quàm ex vano? quid hoc est, illos malis modis à nobis habitos, quod ineptissimas opiniones tuerentur? quis hæc ferat sine teste dici, & tuo hæc dici nomine? Scio equidem Satanam hunc Germanici Collegij alumnis Monachis Benedictinis easdem odiorum faces subdere non dubitasse, infelici tamen conatu, vt iam funesta, & incendiaria auis dici possit, quam omnibus execratam domibus, ac tectis conentur arcere.

VII. *Breuis contra malignitatem P-C. expostulatio.*

Vertat se in omnes formas Proteus hic, Societatemque vt libet, oppugnet, fœcundum fraudium, & calumniarum pectus concutiat, malo suo, quod nollem experietur, quàm verum sit Romæ Christum nobis esse propitium. Possem in hominem istum plurima dicere, & vitæ probra, ingenij vanitatem, & ridendam eruditis imperitiam ludos facere; verùm hæc in Christi gratiam dissimulemus.

lemus. Neque enim ita dici possunt, quin honestissimi nominis, sub quo latere voluit, detractâ personâ statim de facie agnoscatur, nec mei est instituti cuiquam, etiamsi meritæ, infamiæ stigmata inurere: contra falsitates, & malignitatem, non in hominem pugnamus: pro veritate iusta arma induimus, eaque ita tractamus, vt eius fines tantummodo tueamur, cuius odio qui laborant, eos ego hostes me habere propalàm profiteor; homines nimirum serendis discordijs, & publico malo natos; quorum cùm sæcula omnia fuerint non infœcunda, nostrum hoc eâ multitudine laborat, vt nullâ iudiciorum seueritate satis possit eleuari. Verùm si quæ nostrum hoc euerriculum maligni, ac liuidi nebulonis mendacia, si quæ euaserunt ineptiæ, rogo te, Constantine, vt ea ne dissimules, ex quibus nomini tuo & grauis conflatur inuidia, & lutulenta, téque indigna aspergitur infamia, quæ à Benedictini nominis splendore longissimè debet abesse.

VIII.

Peroratio operis ad clarissimos, illustrissimosque Monachos BENEDICTINOS.

Vos, igitur in hac postremâ orationis meæ parte, bonâ Constantini vindicis vestri veniâ, alloquor Religiosissimi Patres; vos obsecro, atque obtestor, ne vestro nomine nobis maledici, nosque impugnari patiamini. Cur enim homines seditiosi, & quibus vnica voluptas est altercari, mutuis obsequijs, aut beneficijs centum iàm annos coalitam amicitiam vestrum inter amplissimum Ordinem, Societatemque nostram minimam conantur abrumpere? Quid aliud hoc est, quàm scelus, & quidem, eò grauius, quò sanctius amicitiæ vinculum illud est, quo Christi charitas religiosas inuicem copulat familias? quarum non dicam odia, quæ inter illas suspicari mihi temerarium est, sed vel ipsæ animorum dissensiones Ecclesiæ luctum, hostibus gaudium offerunt. Et sanè, quæ diligens, & acerbus accusator Pseudo Constantinus congessit, ita ab omni veritate, ac grauitate sunt aliena, vt luculentam vestro nomini, ac sapientiæ iniuriam intulerit, dum vestri vindicis nomine abusus ea vulgauit. Quid enim tandem vestræ interest amplitudinis, quo Ignatius nomine appelletur? quæ miracula patrauerit? quæ illi olim oblata diuinitus visa fuerint? quod Florentina tragœdia initium, quem exitum habuerit? quid in nostris templis pingatur? quid ab India scribatur? Hæc extra omnem caussam sunt; quamuis & quæ ad illam facere videntur, adeo à vestrâ grauitate degenerant, vt indignissimum facinus fecerit, qui ea, quasi

vobis

vobis vindicanda essent, consarcinauit. Vosne nostris damnis crescere opus habetis? vestrane magnitudo nostris attollitur ruinis? vestrane decora nostris dehonestamentis comparantur? Vindicate, Patres, iniuriam hanc, publicoque Ordinis decreto hanc à vestro nomine famam inuidentiæ, atque liuoris, & malignitatis amolimini.

IX. *Eorum ampla, sed iusta & minor adhuc vero laudatio.*

Nos enim Benedictinum nomen amplissimum in Ecclesia Dei locum obtinere non ignoramus: suspicimus venerabilem illius antiquitatem, nouimus ex Benedictinâ familiâ tanquam è vaginâ sacrarum familiarum, plurimas earum prodiisse: legimus in historiarum monumentis, quas è debellatâ superstitione, siue Idololatris Euangelij lucem inferre, siue aberrantes à Petri caulis oues ad illas reuocare opus fuit, victorias retulerint. Colimus sapientiam illam, quæ per omnia Disciplinarum genera latissimè fusa innumerabilibus immortalium ingeniorum monumentis clarissimam litterariæ ipsique Christianæ Reipublicæ attulit lucem: Veneramur disciplinam illam Benedicti, quæ siue togâ, siue sago res fuit gerenda, Christianos fastos honestissimis sanctorum hominum titulis sola propemodum potuit implere: Colimus familiam illam, quæ X I. iam sæcula tot inter rerum conuersiones, sæpius ex suis veluti cineribus excitata, & semper rediuiuâ, viuidâ vsque senectâ viros quotidie alit, quos ipsa huic seculo inuidere possit antiquitas: Non ignoramus plurimos ab illâ Ecclesiæ datos Pontifices rem Christianam strenuè amplificasse: Cardinales, atque Antistites ex illâ lectos non semel centuriari; denique quanta sit Benedictinorum Monachorum dignitas, quæ nostræ aduersus illos venerationis sint partes ab homine liuido, atque imperito docendi non sumus.

X. *Eorum nomine indignissimus est Pseudo-Constantinus.*

Et quamuis ille se vestrum Monachum ferat, illum tamen à vobis sapientissimis scilicet viris pro vestro non agnosci tàm mihi certum, exploratúmque est, quàm huiusmodi petulantem accusandi rabiem, ac maledicendi licentiam à vestrâ sanctissimâ disciplinâ minimè proficisci certissimè scio.

FINIS.